




111

NB. He. 33.9.

98

He. 33a











IDEA CONSILIARII:

Hoc est,

DE CONCILIIIS  
ET CONSILIA-  
RIIS PRINCIPVM, EO-  
rumque Qualitatibus, virtute  
ac Electionibus,

LIBELLVS;

EX FRIDER. FVRII CERIO-  
lani Tractatu Hispanico, DE IN-  
STITVTIONE Principis, in Ita-  
licam, inde in Latinam linguam  
translatus.

INTERFRETANTE SIMONE  
SCHARDIO S. I. V. D. & Camera  
Imperialis Spiræ Nemetum quon-  
dam assessore,

*Additus est* HIPPOLYTI à COL-  
LIBVS, eiusdem argumenti li-  
ber, qui inscribitur CON-  
SILIARIVS.

VVITEBERGÆ

Typis Gronebergianis, 1597.



DE CONCILII  
-A-

KOEN. FRIED.  
UNIVERS.  
ZU HALLE





MAGNIFICO, NO-  
BILITATE GENERIS,  
virtute, eruditione, & rerum ge-  
rendarum usu præstanti viro, DN.  
HENRICO ABRAHAMO ab  
EINSIEDEL, in Scharffenstein &  
Sensperg / Illustris. Principis ac  
Domini, DN. FRIDERICI  
GVILHELMI, Duc. & Elect.

Saxon. Administratoris &c. Confilia-  
rio intimo, Domino suo pluri-  
mum honorando,

S. D.

M. Simon Gronenbergius.

**V**rum bonum, Magnifice  
& nobilissime vir, com-  
mune bonum esse, nemo du-  
bitat, idq; eò magis, quò pro com-  
muni Patria, totiusque Reipublicæ sa-  
lute ille impensius vigilat, qualè no-  
bis Poëta noster magnificè describit:

Vir bonus & prudens, qualem vix repperit

vnum

Millibus è cunctis hominum consultus A-  
pollo

Index



## EPISTOLA

Index ipse sui, totū se explorat ad unguem,  
Quid Proceres &c.

*Et Horat. lib. 1. Epist. 17.*

Vir bonus est quis?

Qui consulta Patrū, qui leges, iuraq; seruat.

*Et sunt alia ab aliis in hanc  
sententiam prolata elogia, quae omnia  
huc pertinent, ut virum nobis bo-  
num illum celebrent maximè, qui  
Regum, Principum, vel aliarū etiam  
Rerumpub. consilijs salutariter adhi-  
betur. Sicuti enim Respublicas, quae  
in viros privato potiùs quàm publico  
cōmodo deditos incidunt, periclitari,  
fatiscere, vel omnino etiam colla-  
bi necesse est: ita vicissim usu veni-  
re animadvertimus, virorum pru-  
dentium opera & consilio, ut non  
florentes modò Respub. in pristina  
facie conservata, sed &, quae ruinam  
minitari videbantur, erecta fue-  
rint ac stabilitae. Hinc est, quod Sa-  
lustius*



## DEDICATORIA.

lustius ad Caesarem: Ego ita compe-  
ri, omnia regna, ciuitates, nationes  
vsque eò prosperum imperium habu-  
isse, dum apud eos vera consilia va-  
luerunt. Vbicunque gratia, timor,  
voluptas ea corrupere, paulò post  
imminuta opes, deinde ademtum  
imperium, postremò seruitus impo-  
sita est.

Exempla in utramque partem  
pro testimonijs plurima sunt. Quis  
est, qui ignorat, quantum toti AE-  
gypto ad conseruationem profuerit  
Iosephi Consiliarii summi cautio ac  
prouidentia? Quam qualèmq; dis-  
sipationem regno Iudaico attulerit  
temeritas puerilis consilij, cui Robo-  
am morem gessit deditè? Mitto nunc  
testimonia alia sacra; mitto profana  
omnia, quibus referta sunt historia-  
rum volumina plurima, ex quibus



## EPISTOLA

abundè constare poterit, eum tandem  
virum bonum, qui consilijs salutari-  
bus rem servat promouetq; publi-  
cam, ut non immeritò Philosophus  
in Polit. τὸ βέλτερον τῶν ἄλλων  
θεώτων θεότατον scribat.

Cum itaque permultum Reipub.  
referat, qui qualè sive in consilium e-  
ligendi sint viri: optimè suas operas  
locasse, locareq; illos arbitramur, qui  
de sinceri ac prudentis Consiliarij  
munere commentationes suas prese-  
runt, quibus tam Reges, Principes  
& civitates, quàm ipsi etiam, qui à  
consilijs Regum, Principum ac civi-  
tatum sunt, admonentur; hi quales  
esse, isti quales eligere debeant.

In quorum numero cum FRI-  
DERICVS FVRIVS est, Ce-  
violanus, Iureconsultus prestantis-  
simus



## DEDICATORIA.

simus, qui libellum de concilijs & Cō-  
siliarijs præclarum, idiomate Hispa-  
nico, conscripsit & edidit: non inu-  
zilem operam Interpretem impen-  
disse constat, qui hanc Consiliarij ide-  
am, Hispanico sermone primò expres-  
sam, ac deinde in Italicum transfu-  
sam, in linguam quoque latinam, ut  
à multis & legi & intelligi possit,  
conuertit. Qui tractatus cum ma-  
gno desiderio Germania hæcenus ex-  
pectatus, datus & diuenditus sit:  
ego nunc denuo eum, unà cum Hip-  
polyti à Collibus, viri & IC. doctis-  
simi erudita dissertatione politica,  
propter argumenti similitudinem, ty-  
pis meis nouo modo describere, atque  
in unicum libellum cogere institui.

Tibi verò, vir Magnifice &  
Nobilissime, eum consecrare inprimis  
gestio, quòd perspectum habeam, te

A 4

omni-



EPISTOLA

omnibus istis requisitis, quae ad fidelissimum Consiliarium pertinent, instructissimum. Non enim solum tantum doctrinarum, sed rerum etiam gerendarum experientia adeo triumphas, ut cum summis quibusvis in hoc genere viris facile comparari possis. Testis est Italia, testis Gallia, & bona pars Europae & Asiae; Turci testes, Germani, & alij populi, aliaeque nationes. Inprimis autem Illustrissimi & potentissimi Principis ac Proelectoris Saxoniae, Dn. FRIDERICI GVLIELMI aula hoc testatur, quae te tuaque salutariter instituta consilia mirè suspicit & observat. Altera nuncupationis huius mea causa est, ut pro nuper erga me declarata insigni benevolentia & singulari humanitate, aliquam gratam mentis significationem attestarer,

ac




DEDICATORIA.

ac de tua Magnif. & Nob. eximia  
virtute, dotibus animi excellentibus  
famam quoque ad posteros usque,  
mea qualicumque opella transmittere-  
rem. Hunc ergo libellum, vir Ma-  
gnifice & Nobilissime, obseruan-  
tia in te mea pignus accipe, quem  
si gratum tibi, uti non diffido, in-  
tellexero, omnia me, qua vole-  
bam, consecutum putabo, efficiesq̄,  
ne qua deinceps mea fatiscat indu-  
stria, si laboribus, quos literarum  
caussa mediocriter sustineo, aura sin-  
gularis tua benevolentia aspirare  
perrexerit. Deum Opt. Max. serio  
precor, ut in his temporum diffi-  
cultatibus, & statu rerum periculoso  
& dubio, consilia tua ad Patria salu-  
tem directa, clementer gubernet,  
teq̄, felicem & incolumem diutissi-  
mè seruet. VViteberga die Con-  
uersionis Pauli, anno 1597.



AD PHILIPPVM  
HISPANIARVM RE-  
gem; FRIDERICI FVRII  
Ceriolani PRÆFATIO.

 *Viliber Princeps quasi  
duabus personis constat.  
Prior est effectio natu-  
ra, qua ei essentia cum  
reliquis hominibus communis im-  
pertitur: altera verò à benignitate  
fortuna, favore cæli, Deiq; clemen-  
tia procedens propter administra-  
tionem & defensionem boni publi-  
ci, publica persona nomen ei tribuit.  
Quò verò generale publica persona  
nomē ad quoddā singularius reduce-  
retur, alijs alia, personā hanc, Italis  
quippe lingua sua populari, Regis; mi-  
hi verò toto hoc opere Principis ap-  
pellatione eā designare placuit: ita ut  
prædictorum ratione, quilibet Prin-  
ceps dupliciter considerari queat, ni-*

*mirum*



## PRAEFATIO

mirum ut homo, & ut Princeps.  
Quatenus homo, corpus & animam  
habet: atque illud non tantum es-  
sentia, sed & ornamentis, quibus  
anima iuvari possit, aestimandum  
est. Hec verò artium, quae cum pri-  
mis ad decus, officium, atque hono-  
rem secundae personae pertinent, per-  
ceptione merienda erit. Nam cor-  
pus & anima, quorum appellatione  
homo intelligitur, quasi instrumen-  
ta Principis esse censentur. Vi ete-  
nim vel pictor, vel aurifaber, appa-  
ratu necessariorum instrumentorum  
deficiente, sui artificij laborem exer-  
cere, vel in suo munere rectè ver-  
sari nequit: ita Princeps conveni-  
entibus instrumentis destitutus, nec  
gubernare, nec defendere, multò  
verò minus augere vel dilatare re-  
gni sui fines poterit. Quae cum ita  
A 6 sint,



## PRAEFATIO.

sint, multos excellentes, qui omnem  
ingenii sui industriam ad Principis  
institutionem, ut à qua conservatio  
atque interitus humane societatis  
pendet, in eo ad hunc usque diem  
errasse videmus, quòd, quamvis in  
Principe duas diversas atque distin-  
ctas personas perspicerent, nihilo-  
minus ipsas in institutione eius con-  
fuderint: ignorantes, omnes artes  
esse instar circulorum catena, quo-  
rum quilibet, quamvis suos termi-  
nos ab alijs distinctos habet, tamen  
ex ijs coniunctis catena efficitur. Sic  
quoque artes suis limitibus conclu-  
dendæ, nec inter sese commiscendæ  
sunt, sed in actionibus, cum ad u-  
sum conferendæ sunt, necesse est o-  
mnes simul concurrere: ea ratione,  
ut traditio ipsarum, præcepta habe-  
at, distincta ab alijs, & commixtio  
ipsa-



## PRAEFATIO.

ipsarum, contra ordinis rationem  
fiat. Quia verò hæc res à paucis est  
intellecta, à multò paucioribus au-  
tem ad usum traducta, euenit, quòd  
in institutione Principis præcepta  
ex Theologia, Philosophia naturali  
& morali, Iurisprudencia, Medici-  
na, & alijs scientijs depromta, pro-  
ponunt. In quo duplex error inest:  
alter, quia de Principe quoad homo,  
& non quoad Princeps est, tractant:  
alter, quia artes confundunt: ut alia  
vitia prætereantur, quæ huic errori  
coniuncta sunt. Principis institutio,  
ex ea parte, quatenus Principem  
spectat, consistit in hoc, ut regulæ,  
præceptiones, ac subiectiones tales  
ei præscribantur, ex quibus bonus  
Princeps euadere queat. Bonum  
Principem nominans, vocabulum  
profero à paucissimis intellectum: et si





## PRAEFATIO.

re diligentius considerata, multi specie quidem praeclara, re verò ipsa inania de hoc dixerint, existimantes, Bonum Principem eundem esse, qui vir bonus sit: & qui bonus vir sit, hunc ipsum bonum Principem esse. Non nego bonitatem Principis rem longè optimam ac prestantissimam esse, & in qua plurimum fiducia sit collocandam: sed cum loquimur de Principibus, non ea ratione bonitatis nomen accipitur: sed ut vel medicus, vel Musicus, vel Pictor, artis suae peritia excellens, quantumvis homo sit malitiosus, bonus nihilominus dicitur: sic & Principis boni nomen hic intelligatur. Atque hoc est, quod subtilissimus Sannazarus significare voluit, cum de quodam suae aetatis Pontifice scripsit, eum bonum Principem, sed hominem malum fuisse.

EX



## PRAEFATIO.

Ex quo bonū Principem dici apparet eū, qui bene atq; perfectè regendi scientiā intelligat, & eam prudenter ad usum conferat: hoc est, qui nōrit & possit solerter suos subditos ita regere, ut non solum cum honore principatum conseruet, atque stabiliat, sed id quod maximè necessariū est, re ac necessitate exigente, eum amplificet, atque victorias de hostibus referat. Et ne longius hac persequar, breuiter dico, bonum Principem esse, qui & sibi ipsemet consulere, & aliorum consilijs uti, & tam alterius, quàm sua, pro ratione negotiorum, personarum, locorum, & temporum, ad finem gloriosum atq; laudabilem perducere potest. Namq; tria in civili societate hominum genera videmus, Vnum, quod sua sponte, suoq; Marte, intelligit ac perspicit, que



PRAEFATIO,

in rem sint: Alterum, quod commo-  
nefactione & subiectione aliorum o-  
pus habet: tertium, quod nulla ista-  
rum ratione animaduertit. Idq; &  
ordine & re extremum, verè serui-  
le, atq; Bœoticum est. Alterum bo-  
num, ac predicandum. Primum ve-  
rò longè optimum, atq; penitus diui-  
num, & quasi natura ad gubernati-  
onem Reip. factum: alterius perfe-  
ctio, ex discretione bonorum atque  
malorum animaduertitur. Nam  
quantumvis ingenio parùm valeat,  
nihilominus tamen malè dicta in-  
telligit, facta sui aduersarii cogno-  
scit, voluntatem suorum consiliario-  
rum perspicit, bonas ipsorum actio-  
nes cum remuneratione collaudat,  
malas reprehēdit atq; castigat. Qua-  
re Consiliarij decipiendi Principis  
viam sibi praclusam videntes, rectè  
atq;



PRÆFATIO

atq; fideliter ipsi seruiunt. Sed miserum, imò miserrimum est regnum, ubi hæc Principis voces exaudiuntur: Videte, ut rectè omnia curentur, facite prout vobis melius videbitur: hæc vestra cura commissa sunt. Namque tale regnum nunquam feliciter gubernari vel administrari poterit: quòd, quæ oculis aguntur alienis, rarissimè bene procedant: & nulla convenientia consiliorum existente, quilibet Consiliariorum sibi collibitum sequetur, atq; res suas curabit, omnes mali euadent: & fieri nequit, ut in tanta malitiæ occasione non seducantur: & qui aliud sibi persuadet, maximè fallitur. Eius verò calamitatis causa ab imperitia Principis proficiscitur.

Cùm etenim homines natura ad ambitionem & auaritiam proclines

A 9 sint,



## PRAEFATIO.

*sint, Consiliarij, occasione sui ampli-  
ficandi sese ostendente, eam minimè  
negligunt. Nascitur verò ea non a-  
liunde, quàm ex varijs rationibus,  
quibus inscio, vel minimè occurren-  
te Principe, ad exoptatum finem in-  
stituti sui peruenire possunt. Cate-  
rùm ex ea re initio licentia, ex li-  
centia confusio, ex hac regni destru-  
ctio denique sequi consuevit. Patet  
itaque Principis peritia, prudenti-  
am ac integritatem consiliariorum  
sustentari: nec econverso Principis  
felicitatem Consiliariorum peritia  
incumbere. Quamobrem repeto id,  
quod antè dixi, Bonum Principem  
esse, qui sibi ipse consulere, & alteri-  
us consilia ad suum commodum con-  
vertere, & utraque pro ratione ne-  
gotiorum, personarum, locorum, &  
temporum rectè, laudatèq; dirigere  
possit.*

*Porro*



## PRÆFATIO.

Porro institutio Principis nihil aliud est, quam disciplina bonarum atque certarum præceptionum, quæ longa temporis experientia collectæ, in animo clarissimorum virorum comprehensa, ore & factis eorum comprobata sunt, qui regia sua administratione, & actionibus memorabilibus, titulum & cognomen bonorum Principum commeruerunt. Qui tales præceptiones collectas in opus redegerit, Principi methodum ac viam certissimam ostendet, sine periculo ad summum gloria ac dignitatis fastigium perueniendi.

Verum enim verò, hæc ars vel institutio, mea sententia, in quinque partes siue tractatus distribuetur, quò rectè solidèque exponatur.

Prime



## P R A E F A T I O .

Prima pars tribus libris constabit : quorum priore declarabitur, quid Princeps, quomodo, & qua de causa constitutus sit, quae ei, & à quo, potestas tributa sit, & quis illam ipsi auferre possit : Altero, quae artes Principi maximè addiscende, & ad gubernationem cum primis sint necessariae. Tertio tractabitur, quae virtutes morales in Principe requirantur, quis & qualis ipsarum usus sit : quam partem, licet ea fundamentum ac basis sit, cui omnis re-  
cta gubernandi ratio insistit, paucissimi rectè intelligunt.

Secundus tractatus erit de creatione Principis, de ipsius Magistris, Doctoribus, gubernatoribus, amicis, socijs, clientulis, denique familiaribus. Quae quidem pars sex aetatibus, quas Philosophi & Medici in homi-

ne



PRÆFATIO.

ne considerant, respondens, in sex libros dividetur: eorumque primus infantia, secundus pueritia, tertius & alij subsequentes reliquis aetatibus attribuentur.

Tertia pars duos libros complectetur: unum, qui peculiariter explicet, ad quid subditi suo principi obligentur: alterum, ad quae Princeps vicissim suis subditis teneatur. Unde certissima regula colligetur, qua subditus fidelis à proditore, & bonus Princeps à tyranno secernatur.

In quarta parte Principi commonstrabitur ratio regendi talis, ut omnes fortune difficultates sibi obiectas superet. Quia verò id nec comprehendì, nec doceri potest, nisi varietate possessionis regnorum cognita, quae quadruplex est: nimirum  
aut



## PRÆFATIO.

aut hereditate, aut electione, aut violentia, aut industria acquisita: ideo hic tractatus in quatuor libros dispartendus est, ut cuilibet acquisitionis modo liber peculiaris destinetur.

Sed considerato, quòd Princeps singulis audiendis vel animadvertendis adesse atque intendere nequeat: ideo quintus tractatus est de concilio & Consiliarijs Principis, in quo ipsi ratio constituendi concilij & idoneos Consiliarios eligendi ostenditur.

Hac de Principis institutione materia talis est, ut hominem maximis nature dotibus, singulari prudentia, multarum literarum cognitione, ac varia experientia predictum requirat, qui tam multiplices,  
tan



PRÆFATIO.

tantiq; momenti res bene ac pro di-  
gnitate tractet. Ac difficultatem hu-  
ius rei abundè commonstrat id, quod  
Græci, Latini, Itali, Germani, Galli &  
Hispani, ut in ea ad defatigatio-  
nem usq; desudarint, tamen eius tra-  
ctanda initium minimè inuenerint,  
ne dum eam in lucem produxerint.  
Omnes eam à posteriore exordiuntur,  
eamq; miserrimè discerpunt atq; di-  
lacerant: & quod omnium vitiosissi-  
mū est, cum Principis institutionem  
polliceantur, quæ, ut dictum est,  
partes multiplices complectitur, ipsi  
ne minimam quidem eius partem at-  
tingunt. Quo & ignorantie & im-  
prudentiæ reprehensionem incurrunt.  
Nam qui titulum libro indit, quicum-  
que is sit, is ad eius materie tracta-  
tionem astringitur, quæ sub titulo  
continetur. Ego itaque, qui semper  
existi-



P R A E F A T I O .

existimaui magni ingenii esse, vacare rebus, quarum tractatio grauis & ardua, absolutio clarissimorum viribus superior est, inter alias meas variarum disciplinarum, ac maxime studij legalis, occupationes, in describenda institutione Principis, ingenij mei vires periclitari volui: Octo librorum, in quos tractatus de concilio Principis diuisus est, primum tuae Maestati transmittens: in quo tanquam aduersarijs quibusdam sententiam meam, omni verborum ac sententiarum ornatu omisso, utcumque noto, ne Maestatis tuae teretes aures multitudine verborum superuacua onerentur. Nec vereor vel extimesco eorum voces, qui me vel superbia vel audacia, vel temeritatis sunt insimulaturi, quod tam arduam atque difficilem materiam

TRA-



P R Æ F A T I O.

tractandam susceperim, quod & natura ad eam ducar, quasiq; rapiar, & ipsam ut ducem optimum secutus, à teneris annis cum alijs rebus, tum formis Respub. cognoscendis studuerim. Hinc infinitos autores peruolui, quò formam antiquarum Rerumpub. ut Assyria, Thebana, Atheniensis, Carthaginensis, Romana: denique nostræ ætatis, putà Turcica, Italia, Germania, Gallia, Hispania, & aliarum gentium cognoscerem: & experientia loco studium in indagandis ijs, quæ nostræ ætate in bellis Monarcharum Europæ acciderunt, posui, eaq; cum veteribus historijs contuli. Adhæc non parum momenti rebus meis attulit, amicitia & consuetudo hominum, quorum opera vel Principes vel Respub. in maximis ac difficilimis negotijs regnorum &

B

ter-



## PRÆFATIO.

terrarum usi, de rebus præteritis  
quàm plurima me edocere potuerunt.  
Cum ergo eo modo natus, nutritus &  
exercitatus sim, non commoveor vo-  
cibus emulorum, quæcumque contra  
me usurpari possint.

Multi quidem hæc reijcient, &  
temerè ac inconsultò Hannibalis di-  
ceto prorumpent, Maximum Philo-  
sophum Phormionem stultitiæ redar-  
guentis, cum ei modum ac formam  
instruendæ aciei traditurus esset.  
Hisce, atque exemplo ab ipsis allega-  
to, si ex opinione multorum, doctri-  
na, prudentia & sanctitate illustri-  
um virorum, quorum aliqui verbis,  
aliqui scriptis barbariem & imma-  
nitatem Hannibalis damnant, re-  
spondere, eorumq; autoritate tueri  
me velim: dicere possem, emulos ac  
obtre.



P R A E F A T I O .

obirectatores meos Hannibale barbariores esse, quòd ille ex mera superbia peccarit, nolens cuiquam, in umbra versanti, tantam belli peritiam concedere, quantam ipse in sole & pulvere comparasset: illi autem, praterquam quòd Praxille Adonide stupidiores, eos reprehendunt, qui aliqua rerum scientia valent, & in temeritatis vitium incurrunt, alterius militia applaudentes. GRAVIUS VERO EST STOLIDIS, ALTERIUS DICTIS SUBSCRIBERE, QUAM EA PROFERRE.

Deinde re bene perpensa Hannibal excusationem meretur, nostri autem obirectatores reprehensione dignissimi sunt. Verisimile namque est, nobilissimum virum, mille



P R A E F A T I O .

trophæis atq; victorijs illustrem, dis-  
sertatione Phormionis de acie instru-  
enda audita, ex quadam excande-  
scentia in hæc verba prorupisse: sed  
hi malitia ac improbitate incitati, a-  
liorum labores obruere, & detestan-  
dam ignorantiam, coniunctam cum  
affectatione otij & gloriæ defendere  
conantur. Sed do, ab Hannibale  
Phormionem iustè reprehensum: quid  
verò inde sequitur? Id solummodò,  
imprudenter facere eum, qui se do-  
ctiorem, ut sus Minervam, docere  
velit. Denique, ut quid meis emu-  
lis largiar ulterius, malè facere eum,  
qui parem sibi doceat, peius verò il-  
lum, qui docet, quod non intelligat.  
Nihilominus tamen, nisi me mea o-  
pinio fallit, utriusque partis repre-  
hensionem evado. Primò namque, ne  
quid de insita atque innata propen-  
sione



P R A E F A T I O.

sione dicam, summam diligentiam  
 adhibui, ut solidam perfectamq; eo-  
 rum, de quibus scribo, cognitionem  
 mihi compararem: ac quid perfec-  
 rim, opus ipsum testabitur. Porro,  
 ut equitandi, dicendi, belligerandi  
 artes inuenta sunt, non pro his, qui  
 ipsarum notitiam habebant, sed ea-  
 rum usu indigebant: sic & ars bene  
 gubernandi est Principis institutio-  
 ni conueniens, cuius particula est,  
 doctrina rerum hoc libello contenta-  
 rum: necessaria non scientibus, sed  
 imperitis ac eius cognitione destitu-  
 tis. Ad extremum, pro maiori de-  
 fensione & autoritate huius opelle,  
 rem conuenientissimam me facturū  
 sum arbitratus, si eam ad Tuam Ma-  
 iestatem, tanquam scholam recte  
 perfectaq; gubernationis, ablega-  
 rem: optima spe, illa ibi benignè ex-





PRAEFATIO.

aminata, errorum ac lapsuum corrigendorum mihi commoditatem fore: ac quicquid boni ipsa continebit, non tantum locum habiturum, sed & speculi instar futurum, in quo totius mundi Principes se contueantur, eò quòd & ex aula & manibus prudentissimi & Maximi Regis

PHILIPPI prodeat.

Vale.



DE CONCILIIIS  
ET CONSILIARIIS  
Principum

LIBER VNVS;

EXTRACTATV FRIDERICI FURII Ceriolani, de Principis institutione, conuersus ex lingua Italica:

SIMONE SCHARDIO LL.  
Doctore, interprete.

**C**ONCILIVM PRINCIPIS est certa concio vel congregatio hominum selectorum, ad consulendum Principi, vel pacis, vel belli tempore: cuius opera praeteritorum meminit, praesentia cernit, futura pronidet, suarum machinationum felicem successum consequitur, incommoda effugit: aut, si id fieri nequeat, viam, qua illa leniantur, inuenit. Hanc

B 4

CON-



## DE CONCILIIS

Concionem quidam Consilium appellat, nomine ei à fine indito, propter quem inuenta est: nec male. Sed mihi certis de causis, quas breuitatis causa omitto, visum est id appellare Concilium. Veruntamen per me cuiuslibet liberum est, ea scribendi ratione uti, quæ illi optima videbitur: quòd, quantum ad hunc sermonem attinet, Concilium, siue Consilium, re idem sunt. Itaque, ut ad propositum reuertar, Concilium, respectu ad Principem habito, vicem omnium sensuum ipsius ferè sustinet, intellectus, memoriæ, oculorum, aurium, vocis, pedum, manuum: ad populum verò ratione habita patrem, tutorem, & curatorem refert. Quòd si Princeps & consilium simul respiciantur, Dei vices in terris gerunt. Hinc efficitur, cõstitutione boni concilii, Principi suo essentiam tribui, debitam existima-



stimationem conciliari, populum sustentari, utrosque (Principem intellige, atque Consiliarios) veros atque legitimos ministros Dei esse. Econtrariò autem, malo concilio non solùm Principis existimationem labefactari, sed & penitus euerti: ipsumq; lapidem fieri eiusdem formæ, quam veteres Romani Termino deo attribuerunt: populum verò destrui, atque in extremam perniciem conijci: utrosq; hoc est, Principem & Consiliarios, defectione à voluntate Dei, mancipia diaboli fieri.

Hæ res tanti sunt momenti, ut maioris in hac vita inueniri non existimem, & ideo, mea sententia, Principi diu noctūque ad vigilandum pro inueniendō & constituendo Concilio, cui nihil desit.

Alii alia de hoc scripsere, & fortè non malè: ego verò, qui rationem, experientiam, & regulas



magnorum Principum sequor, existimo, quòd quamuis Concilium Principis reuerà vnicum tantum sit: nimirum cum caput vnum, quod Princeps est, habeat: tamen eius in plurimas partes, capiti congruentes, diuisionem necessariam esse. Nam sicut genua, brachia, & alia membra, quantumuis loco, forma, officio differunt, vnum tantum hominem constituunt: sic etiam Consilium, licet necessitatis causa in multas partes distingatur, non nisi vnicum corpus efficiet, hoc est, bonam gubernationem & defensionem, cuius caput est Princeps: membra, diuersa consilia. Quare regulam ordinandi Concilij daturò, ante omnia ostendendum, quot conciliis Princeps opus habeat: quot Consilarii, Præsidentes, Tabelliones, & quàm periti atque idonei in quolibet ipsorum requirantur; quæ cuiusque autori-



ET CONSILIARIIS. 5

tas, existimatio ac præcellentia esse debeat: qua hora, quo tempore, & quo modo, negotia ab ipsis sint proponenda: quibus supplices libelli offerendi, quibus cura vrgendi negotia demandanda: qui consignandis rebus præficiendi sint, cum alijs eiusdem generis. Similiter quoq; eidem convenientia Conciliorum ostendenda est, ne perverso atque præpostero ordine negotia confundantur. Adhæc commonstrandum, quomodo causæ in Consilio proponendæ, & postea ad Principis cognitionem deferendæ sint.

Hunc itaque ordinem mihi amplectenti convenit, à PRIMÀ parte incipere, ac demonstrare, quod Concilijs Princeps opus habeat. Censeo itaque, nec plura, nec pauciora eorum septem esse debere: & ut clariùs loquar in re magni momenti, denuò dico, cuilibet



6 DE CONCILIIIS

Principi septem Concilia, muneribus, negotijs, ministris, dignitate ac potestate differentia, instituenda esse, si feliciter ac commodè prouinciam regere & administrare velit, quæ Concilia hæc sunt :

Primum itaque Concilium ærario & publicæ pecuniæ præficiatur, id quod Concilium quæstorium appello: sitq; constitutum ad reditus Principis, tam extraordinarios quàm ordinarios recipiendos, colligendos, conseruandos & amplificandos. Consideret vnde, qua ratione, & qua opportunitate pecuniæ extraordinariæ conficiendæ, tributa imponenda, & ærario tenuitate vestigalium ac tributorum laborante, ea augenda & multiplicanda sint. De rationibus, quibus tributa superuacua, damnosa, aut intolerabilia remoueantur, cogitet: similiter quoque impensarum, quas Princeps belli tempore facit,



ET CONSILIAR: 7

facit, curam habeat, sic, ut super-  
 uacuae atque inutiles demantur: &  
 si quae augeantur, necessariae sint.  
 Aërarium namque Principis non  
 solum pecuniarum accumulatio-  
 ne, sed & impensarum superflua-  
 rum imminutione collocupletatur.  
 Ad extremum, hoc Concilium,  
 Principis thesaurus, vel (ut Ro-  
 mani loquebantur) ærarium sit,  
 Prouincia, cui tale Concilium de-  
 est, ut sibi onera intolerabilia im-  
 poni, Principem inopia atque ære  
 alieno premi, eius prouentus ad  
 nihilum recidere, populum deglu-  
 bi, quasiq; euiscerari conspiciat,  
 necesse est.

Secundum Concilium politi-  
 cis negotiis destinetur: idq; est,  
 quod vulgò à gubernatione co-  
 gnominant. Vocet id quisque quo  
 nomine velit: mihi id Concilium  
 togatum dicere liceat. Hoc verò  
 Concilium rebus ciuilibus, ut Iuris-





## DE CONCILIIS

consulti loquuntur, occupetur: hoc est, animaduertat in Vicarios, Rectores, Iudices, Duces, Præfides castrorum, Præfectos, Centuriones, Consiliarios, & alios ministros Principis, tam togatos quàm sagatos, an officium faciant nec ne, an sint vel exautorandi vel retinendi: quales eligendi, & quales repudiandi sint: denique, ne vel in stipendijs, vel com meatu quid falsi committatur, videat. Patiter quoque curet, vt impensæ Principis ordinariæ & extraordinariæ, & belli & pacis tempore, opportunè soluantur: & vt cuique à Concilio quæstorio satisfiat, iubendi potestatem habeat: nam collectio & conseruatio pecuniarum, Concilij quæstorii erit: erogatio verò, auctoritati & mandato togati relinquatur, ita vt ne teruncius quidem absque eius consensu expendatur. Postremò consideret, cum quibus

PAX



ET CONSILIARIIS. 9

pax sit facienda, fœdera ineunda, amicitia fouenda, beneuolentia uel re uel uerbis simulanda: atque in hisce perpendet, quomodo, quamdiu, secretone an publicè hæc fieri debeant, & ut hæc finiam, Concilium hoc quasi caput conciliorũ reliquorum erit.

Tertium Concilium sit militare, idq; eodem nomine uocetur. Ad huius uerò curam spectabit, uidere, quomodo ciuitates sint muniendæ, limites seu fines custodiendi, quot stipendiarii pace & bello ipsis imponendi, cum eius generis alijs. Præter hæc, ueterum exercitationes & belli rationes consideret, eaque cum sua ætate conferat, utrorumque discrimen intelligat, & sciat ordinate equestres atque pedestres acies, norit, quæ gens in utrisque plus polleat: quæ artes ac rationes hætenus inuentæ sint, uel in posterum inueniri que-



ant, castrametationibus vel vtilis  
vel noxiæ. Metietur vires Principis,  
& eius hostis, quantæ eæ con-  
iunctæ cū confœderatorū esse que-  
ant, vel non: quantæ eæ iam sint,  
& quàm magnæ accessione alio-  
rum effici possint. Memoria quo-  
que teneat, omnia bella Principis  
sui, & eius maiorum, hoc est, qua  
de causa illa mota sint, quomodo  
gesta & administrata, quibus con-  
ditionibus composita, ac quo, quæ-  
que partium ad tales conditiones  
dandas ac recipiendas inducta sit.  
Hoc idem Concilium sciet poten-  
tiam Principis, eius vicinorum, cō-  
fœderatorum, omniumque eorum,  
qui vel amici vel inimici fieri pos-  
sint. Ex hoc namque perspicietur, si  
hostis viribus superior sit, pacem  
bello præferendam: si ei potentia  
pares fuerimus, alia consilia sequē-  
da esse. Ac si hoste inferiores simus,  
consideret, an ne copiis, an armis,  
an



ET CONSILIAR. H

an ducibus belli, an exercitatione,  
an pecunia, an autoritate, vel fide,  
vel amicis, vel confœderatis, vel  
commeatu, vel aliis rebus simili-  
bus. Quibus visis & bene exami-  
natis, Concilium hoc itidem dili-  
genter perpendet, quæ non solum  
pro defensione, sed & victoria pa-  
randa, suscipienda sint.

*Clarum namque & manifestum  
est, ingenium viribus præstare, vimq;  
consilii expertem mole corruere sua.  
In quo regno tale Concilium con-  
stitutum non est, ibi Princeps in o-  
mnibus negotijs bellicis, quæ susci-  
pit, delinquit: bellum intempesti-  
uè mouet, eius administrandi vel  
conficiundi inscius, omnia ad for-  
tunæ arbitrium reijcit, nec quic-  
quam consilio agit: victoria ob-  
tenta effertur, nec ea commodè uti  
scit: clade accepta, animum Prin-  
cipe dignam, imbellis ac fragilis  
mulierculæ instar, præ impatientia*



abijcit, crines lacerans, pectus verberibus contundens, ac se lamentis lacrymisque dedens: si non in publico, secretò tamen, & pro conseruatione regni ac auctoritatis, nullam humilimi & abiectissimi animi significationem reformidat, ad conditiones pacis vel induciarum iniquissimas recipiendas, turpissimè descendens.

Hominum imperitorum sententiæ, vel potiùs stoliditates, tali casu, auditu perquàm ridiculæ sunt. Alios namque audias fortunam accusantes, minimè perpendentes, quòd vbi prudentia dominatur, fallaci fortunæ locus non sit. Alios verò dicentes, Deo ita placuisse, ac visum esse. Ego in Dei potentiam minimè inquirò, sed interrogando, aio cum D. Paulo, an ne Deus ipsis arcana sua enunciârit? vel literas manu sanctæ Trinitatis subsignatas acceperint, quibus ita

rem



rem esse, vt narrant, certò sciant?  
 Alios confitentes audies, nostris  
 peccatis hæc attrahi: eaq; veritas  
 est. Nam errores & lapsus Princi-  
 pis, eiusq; consiliariorum, peccata  
 sunt, quæ nobis & alijs publicas  
 calamitates accersunt. Verùm ne  
 nimium vagetur oratio, concluden-  
 dum dico, interim dum Princeps  
 carebit concilio militari, quale su-  
 periùs descripsi, nemo admiratione  
 afficiatur, re malè in bello gesta vel  
 administrata. Quare in hoc diligen-  
 ter sibi prospiciat.

Quartum concilium annonæ  
 præponatur, idq; Concilium fru-  
 mentarium appello. Erit verò eius  
 officium, pacis & belli tempore,  
 prouinciæ de annona prospicere.  
 Vnde necesse est, vt cognita & in  
 tabula quasi descripta habeat, omnia  
 ipsius prouinciam concernentia:  
 vtpote quantum commeatus habe-  
 at, quantum superfit, vel desit:  
 quan-



quantum vel mari vel terra adueha-  
tur: vnde, quomodo, & quo tem-  
pore apportetur, cum alijs eiusmo-  
di. Omnis generis commeatus ad  
hoc Concilium reijcietur, nec eo  
in scio aut inconsulto cuiquam da-  
bitur. Tali Concilio instituto, vt id  
necessitas ipsa exigit, tam belli  
quam pacis tempore, annona vitæ  
necessaria affatim atq; abundè sup-  
petet: ita vt pars eius populis, quo-  
rum amicitia atque mutua negoti-  
atio regno vsui est, impertiri possit.  
Sine eo verò, omnia sunt perdita &  
deplorata: quælibet prouincia an-  
gustijs infinitis premitur, paucorū  
auaritia vel malitia: necessaria ex  
regno asportantur, amicis laboran-  
tibus minimè succurritur, hostes  
ampliter & ad satietatem vsque no-  
stris pecunijs fruuntur. Quare fit,  
vt sæpe, quæ nobis cum alijs socie-  
tas est, vel flaccescat, vel insigni re-  
rum nostrarum iactura dissoluatur.  
Insuper



Insuper talis concilij inopia, non raro intestina bella in regnis excitari videmus: vbi homines iuxta & pecora fame diuexantur, exercitus fame ac rerum penuria coactos, aut cum pudore militiam deserere, aut pacem vel iuducias, vel confœderationes, cum quibus non debebant, intempestiuè inire. Ex quo tandem sequitur, vt Princeps autoritate apud extraneos, beneuolentia apud suos excidat. Duo namque populi animos Principi præcipuè deuinciunt: Primò, defensio contra iniurias ac oppressionem potentiorum; deinde, confœderatio cum ijs gentibus ac terris, quorum commercijs subditi carere nequeunt.

Quintum Concilium est Iurisprudentiam: id Concilium Legale nominabo. Ei verò incumbito, considerare quibus officijs, magistratibus, ac rectoribus prouincia indigeat.



## 16 DE CONCILIIS

indigeat. Videte qua scientia, dignitate & potestate quique esse debeant. Idem numerum deficientium suppleto, superfluos atque ineptos remoueto. Ei legum bonarum condendarum, malarumque abrogandarum cura esto. Idem leges protegito: ac vt inuiolabiliter obseruatae, debitae executioni mandentur, omni studio prospicito. Talis concilij defectu in quibusdam regnis ac ciuitatibus, pauciores quam publico commodo conueniat, magistratus esse, in alijs plures quam par sit: & quod omnium pessimum est, saepius officia inter se penitus, vel magna ex parte contraria inueniri videmus. Hinc distractiones, factiones, seditiones, ex-pilationes & lites innumeræ oriuntur: quæ nunquam finierunt, nec finientur, nisi per coniurationes, quibus aut manus Principis cæde pol-  
luun-



luuntur, aut ei principatus ademptus alteri confertur. Multi hanc partem sicco pede prætereunt ac negligunt, minimè perspicientes: Sementem anni præsentis, causam messis anni insequentis esse. Quid itaque prodest commemorare utilitates, quas leges prudenter rogatæ & abrogatæ, fixæ siue refixæ adferunt? Sanctè iurare aulam, ex centum litibus, nonaginta quinque non aliunde nasci, quàm ex ipsis legibus: quæ cum nostra ætate antiquatæ sint, nec obseruentur, vel obseruandæ sint, nec extet Consilium, cuius autoritate mutantur, vel emendentur: Aduocatorum & Doctorum ambitioni & auaritiæ materiam ministrant.

Sextum Concilium ad multas & poenas destinatum sit: Idq; Concilium criminale dicetur: & omnium

um



um caussarum criminalium, quæ ad Principem deuoluuntur, cognitionem atque iudicium suscipiet: simul in ipsis secundum leges ac mores terræ, in qua delicta committuntur, pronuntiabit.

Septimum Concilium Censorium sit, eodémque nomine vocetur. Habeat autem officium inspiciendi beneficia & maleficia in vniuersum, inquirendo diligenter de vita, qualitate, virtute, moribus & actionibus cuiusque: quò præmium virtuti non rogantium decernatur, id verò postulantibus digna remuneratione obtingat. Nam si quis ob malefacta pœna afficiatur, vt & propter bene atque præclarè facta honoretur, æquum est. Cuiusque Principis liberalitas, vt huius Concilii manu dirigatur necesse est, nec vlla eo inconsulto cuiquam gratia fiat. Eius Concilii defectu, in aulis Principum plerunque virtutis rationem

nem



nem non haberi videmus, sed ple-  
raque vel fauore, vel largitionibus  
atque corruptelis geri. Vir virtute  
ornatus, atque ad res gerendas ido-  
neus, aut non respicitur, aut repel-  
litur, aut tardè virtutis testimoni-  
um consequitur. Econuersò stultus,  
adulator, sannio, scurra, leno, in  
pretio est, fauore ac gratia valet,  
& amplissima quæque præmia re-  
portat. Quid verò inde sequitur?  
Bonorum indignatio, indignatio-  
nem vindictæ cupiditas, vindictæ  
cupiditatem factiones, factiones tu-  
multus ac cædes, hæc Principis re-  
gniq; totius interitus atque ruina  
comitatur.

Hæc sunt septem Concilia, quæ  
ad gubernationem regni necessaria  
sunt, idq; cum alijs de causis, tum  
verò ob hanc maximè, quòd ita cõ-  
cilijs distinctis atque diuisis, nego-  
tia meliùs expedientur: Princeps  
querelarum multitudinem exonera-  
tus



rus, in quiete ac tranquillitate consistet: subditi à diutina caussarum prosecutione liberi atque soluti vitæ, tempori atque fortunis parcent. Consiliarij negotijs distributis ac segregatis, paucioribus occupationibus obruentur.

Vidi, id quod cum extrema pernicie coniunctum est, quatuor aut sex hominibus, omnia pacis ac belli, poenarum, præmiorum, reddituum, annonæ, & aliarum arduarum rerum negotia imponi. Ratio verò & experientia testantur, fieri non posse, vt quis multa simul & rectè curet. Quare quotquot Consiliarij Principum hanc difficultatem non animaduertunt, meo iudicio cæci sunt: qui verò ea intellecta, Principis sui autoritate, multorū Cōciliorum, in quibus negotia ratione cōmemorata distribuuntur, institutionem non promouent, auari, ambitiosi, imprudentes, ac Reipub. exitiosi



officiis censendi sunt. Nam quia soli in pretio esse, rem suam collocupletare, votisque suis potiri student, quid de publico fiat, parum ipsis curæ est.

Materiæ huius campus immensus est, in quo si excurrere atque vagari vellem, non ita citò eius finem attingerem: sed sufficit ex his reliqua intelligi. Res Principis consideratione & cura dignissima est, ne officia diuersa vni Consiliario iniungantur. Id melioris intelligentiæ gratia clariùs ostendo: Consiliarius, qui rebus præpositus est, nequaquam patietur, se ad quod aliud sex conciliorum trahi: & quod de hoc dico, id etiam de alijs intelligo, vt quisque vni concilio, non pluribus seruiat. Aliàs enim facilè fiet, vt concilia breui temporis spatio in eum locum redacta, nomine quidem septem sint, re autem ipsa non nisi vnum: ac Principatus in incommoda atque



pericula, quæ superiùs attingi, incidat: vt interim breuitatis causa alia omittam, quæ inde nasci possunt.

Cæterùm quò hæc Concilia bene & perfectè constituentur, ordinis ratio exposceret, singulorum singulas partes ac circumstantias, quarum in principio huius Capituli mentio facta est, percurri. Id quod vt clariùs fiat, hic tractatus in libros septem diuidetur: ita, vt cuiuslibet concilij declaratio, peculiarem librum sibi attributum habeat. Verùm quia qualitatium tractatio, ad personas quod attinet, par est in omnibus, licet varietate officiorum differant: ideo in genere partes & qualitates boni Consilii prosequar: atq; eo ipso, libro primo, de Concilio & Consiliarijs, colophonem imponam: reliquos septem, cum Deo visum erit, continuaturus.

Quibus



Quibus animi qualitati-  
bus ac ornamentis Consiliari-  
us præditus esse debeat.

## CAPVT II.

Consiliarius est persona idonea,  
electa ad negotia, & executio-  
nem rerum pertinentium ad ve-  
num Conciliorum, de quibus antè  
dixi, vnde in Consiliario res duæ  
notandæ: Vna est, habilitas ipsius  
ad negotia, quæ consistit in hoc,  
vt par sit negotiorum, quæ ei im-  
ponuntur, administrationi. Altera  
est electio, quæ ad Principem re-  
fertur: ita vt industria sit Consilia-  
rii, electio verò Principis. Nos de  
vtroque videbimus, & primò de  
habilitate, quæ dupliciter in homi-  
ne consideratur: nam ea vel animi  
vel corporis est. In sequenti ca-  
pitulo ostendetur, quomodo habi-  
litas



litas Consiliarij ex corpore sit iudicanda. In hoc qualitates animi, quarum sunt quindecim, breuiter explicabuntur.

Prima itaque est, vt Consiliarius ingenio celeri atque alacri sit: Alacritas namque principium, medium & finis est præclararum actionum. Ni virtutes, quotquot in hominem cadere possunt, coniunctam alacritatem habeant, vi sua atque efficacia destitutæ, nullius momenti vel ponderis sunt. Experientia docet, præceptores, magistros, interpretes, artifices, libros, ac gubernatores, præceptiones ac commonefactiones parum proficere apud hos, qui ingenio stupido, hebeti, ac rudi sunt: idq; adeò, vt vel multitudine præceptionum, vel assiduo labore, vel longo tempore, nihil aut parum promoueant. Econuersò autem ingenium . . . . . docit



docile, ac alacre, paucis præcepti-  
onibus, minimo labore, breuique  
temporis spatio, ad exoptatam  
metam peruenit. Et vt hæc pars  
breuissima oratione concludatur,  
ingenium rude ac hebes, est instar  
agri natura sterilis: qui quamuis  
sæpius colatur, tamen succum non  
habens, vel paucos, vel malos, vel  
immaturos fructus reddit: Sic vbi  
nullius ingenij vigor est, virtutis  
eximiæ fructus minimè sperandus  
est. Hæc ergo prima nota sit, quæ  
Consiliarij habilitatem demonstret.

Ingenium porrò tale, quale hic  
exigo, Principis experientia, non a-  
liorum relatione, cognosci velim.  
Sint itaq; eius cognoscendi regulæ  
huiusceinodi, quibus, si Princeps  
penitùs amens nō sit, tam id perspi-  
ciet, ac si meridiana luce solem vi-  
deat: idémq; obseruabo in reliquis  
circumstantijs ac notis. Ad rem



vt veniam, antea dixi, sola experientia qualitates cognoscendas: hæc verò ex dictis & factis cuiuslibet sumitur. Porro dicta ingeniosi singularia sunt, opinione vulgi excellentiora. Nam vt res ratione vulgari non comprehendit, sic & eadem de ipsis differit: in principio & fine mirus, in dicendo argutus, in respondendo promptus, in arripiendo facilis, in docendo clarus, iocando suavis, in serijs cautus, & in versanda natura ita studiosus, ne virtutis immemor conspicitur. Nunquam præclarum & illustre ingenium via publica ambulat, vulgari modo loquitur, sese venditat, in sermone vacillat, vel malè sibi constat. Certissimum humilis ingenij signum est, vel suis æmulis, vel Principis sui, vel alterius opinionis sectatoribus, vel nationibus exteris, siue Iudæis, siue Mauris, siue Christianis obtrectare.

Inge



Ingenium namq; solers, quocunq;  
se se conuertat, & bona & mala vi-  
det, bona laudat & amplectitur:  
mala verò reprehendit, & absque  
insectatione & iniuria cuiusquam  
refellit. Insuper ingenii præclari a-  
ctiones alacres, & actuosæ esse con-  
sueuere. Semper etenim meditatio-  
ne singularium rerum occupatur,  
omnia videre, comprehendere,  
quasiq; manibus palpitare gestiens,  
multa legens, conferens, & cum o-  
mnis generis hominibus versans.  
Ad hæc, præterita scire, præsentia  
intelligere, de futuris iudicare cu-  
piens, multa inuestigans, non con-  
tentum vnius vel alterius cognitio-  
ne, plus alijs in rebus susceptis di-  
ligentiæ atque laboris collocans.  
Idem ingeniũ in iuuentute vicens,  
multiplices fructus profert, & iuxta  
Platonis dictum, agro fertilissimo  
simile est. Nam vt is ob nimiam  
pinguedinem, malis ac bonis her-



bis producendis accommodus est: sic etiam celebriorum Ducum, Principum, ac Philosophorum ingenia, cum maximis virtutibus & vitia insignia protulisse leguntur. Veruntamen ingenium tale, de quo loquor, ubi ad maturam ætatem, quam anno trigesimo definitio, pervenerit, bonos ac salutiferos fructus edit: & ut omnia verbo dicam, verè divinum est. Vicissim autem animus remissus, negligens, gulæ, luxui ac voluptati deditus, artium honestarum & arduorum negotiorum rudis, exterarum nationum contemptor, turpis, inglorius, depravatus, ac ne inter mediocres quidem censendus est.

Secunda qualitas atque nota, quæ habilitatem Consiliarij demonstrat, est eloquentia. Nam cum homines ratione & oratione à brutis animantibus differant, verisimile est, prout quisque ipsis excellen-

len-



lentior est, ita gratia dicendi eum maximè valere: quare Consiliarium eloquentia maximè excellere volo. Indies namque accidit, vt Principi, quis suorum Consiliariorum vel in exteras terras, vel ad quandam suarum ciuitatum aut prouinciarum ablegandus sit: idque ad suadendum seu dissuadendum, accusandum vel defendendum, laudandum vel vituperandū, gratulandum seu condolendum, & res similes. Quàm verò necessariū, ac cum commodo & utilitate Principis coniunctum sit, id rectè fieri, atq; vicissim in eo peccari, turpe atque damnosum Principi existimetur, quis non videt? Adhæc in seditione & tumultu exercitus, motu populi, & alijs factionibus illicitis, quantò quisque eloquentior, tantò ad motus sedandos accommodatior est. Præterea eloquentia facit, ad responsa graua & arguta ex-



terorum Principum legatis, qui ad negotia cum Principe tractanda venere, vel voce vel scriptis reddenda. Hanc animi qualitatem experientia cognoscendam existimo: quæ hæc sit: ut Princeps consideret, quomodo Consiliarius animi sui sensa exprimat: quare in colloquio & sermone eum compellet, atque cum ipso ratione orij, vel horam unam, vel duas, vel pauciores colloquatur, historiarum recitationem ab ipso exigat, quò videat, quomodo filium orationis abrumpat vel producat, qua ratione proponat, diuidat, continuet atque concludat: idq; qua gratia, quo ordine, & qua proprietate dicendi. Præterea ex operibus hæc animi qualitas cognoscitur, considerando quod antè eloquentiæ documentum ediderit, quantum ei temporis atque diligentiae impenderit: & si quid antè in lucem protulerit, id excu-  
tia



riatur. Quinetiam, re exigente, cubiculo includatur, Principe simulante, vel gratulatorias, vel lamentatorias, vel alterius argumenti scribendas, easque in sua praesentia confici iubeat.

Tertia animi qualitas, index idonei Consiliarij est, multarum linguarum cognitio, maxime eorum populorum, quibus princeps imperat, amicis, aut hostibus utitur. Id melius intelligetur per exemplum. Sit itaque Consiliarius regis Hispaniarum, qualis modo est. hic praeter linguam vernaculam bene sciat Latinam, Italicam, Arabicam, Gallicam, Germanicam: idque ea de causa, quia subditi laete ferunt, se intelligere, & intelligi ab his, quibus cum negotia habent. Melius quis animi sui sensa aperit, & melius intelligitur eadem lingua utens, quam si interpretis adhibeatur. Quinetiam, si quod in dies accidit, res ad-



uersæ, graues, vel arcanae Consilia-  
rio magni Principis sint patefacien-  
dæ, eæ potiùs remotis quasi arbitris,  
quàm tertio teste accedente, expo-  
nuntur. Quantum porrò ea cognitio  
iuuat ad legationes vicinorum au-  
diendas, siue eæ amica, siue hostilia  
adferant? Si sint amici, in amicitia  
conseruantur, videntes suam lin-  
guam in ore Consiliarij: sibi nam-  
que persuadent, id ex amore &  
obseruantia proficisci, & quantum-  
uis in hoc fallantur, frustratio ta-  
men hæc minimè inutilis est. Si  
inimici, hac occasione beneuolen-  
tia eorum acquiritur, vel si hæc vri-  
litas absit, ex tenore & modo ver-  
borum eius, ex frontis contractio-  
ne, superciliarum motu, euagatione  
à proposito ad aliud, semper aliquid  
intelligitur, quod Consiliarium fu-  
giet ignarum linguæ, qua aduer-  
farius vtitur, interprete interue-  
niente. Neque id omittendum  
est,



est, rarissimè interpretes inueniri, qui perfectè res interpretandas declarent, ac bona fide referant, semper quid vel adimentes vel adiungentes. Quid quòd explorator veniet, ex cuius relatione salus & honos totius regni pendet, nuncium adferens, quod dilationem non patitur, in re tali vitium maximum est, si interpres quærendus sit, nam aut in puncto non inuenitur, aut explorator ei diffidit, aut interpres id poterit detegere, & si quæ alia sunt incommoda. Accedit, quòd hunc, qui multarum linguarum cognitione valet, necesse est multa vidisse atque legisse, aut cum varijs hominibus communicasse: et vel penitùs, vel pro parte, mores populorum, quorum linguam nouit, scire. Eaq; res admodum necessaria est Consiliario, in deliberatione rerum, quæ indies offeruntur. Alias rationes vitæ dæ prolixitatis gratia prætermitto,



cùm meo iudicio res sit, quæ exemplis & lenocinijs verborum minime indigeat. Huius autem qualitatis cognitio experientia constat, nimirum vt Princeps Consiliarium, se præfente, scribere vel loqui curet, nec aliorum relationi (quæ plerumque fallax est) nimium confidat.

Quarta nota, idoneum Consiliarium declarans, Historiarum cognitio est: nimirum si viderit & legerit singulari attentione & diligentia, omnium seculorum memoriam: maximè autem historias sui Principis, nec non amicorum, vicinorum & inimicorum eius. Hunc, qui in lectione historiarum diligenter versatus est, & verum fructum ex ipsis decerpere nouit, perfectum Consiliarium fidenter dixero. Nihil tali deest: in omnibus negotijs gubernationis est exercitatus: imò viua quodammodo exercitatio & experientia censetur, Historia namque



que nihil aliud est, quàm collectio rerum omnibus seculis, experientia multorum hominum comprobatarum. Detur mihi Historicus, qui ex memoria rerum veterum veros fructus demerere, & germanū succum haurire sciat: hic experientiam maiorem negotiorum habebit alijs, qui viginti annorum spatio in eorum tractatione se exercuerunt. Nam, vt exemplum à re militari sumamus: Veteranus miles aut dux, in tot annorum curriculo quatuor conflictibus, centum leuibus prælijs, quinquaginta obsidionibus, duodecim seditionibus, quinque pacificationibus atque inducijs interfuerit, vel etiam pluribus: historicus verò innumerabilium conflictuum, præliorum, obsidionum, seditionum, induciarum ac pacificationum experientiam habet. Quæ autem est comparatio atque proportio finiti ad infinitum? Præterea hic veteranus





nus ex viginti annorum experientia cognoscit saltem naturam duarum, trium aut quatuor nationum: Historicus omnium. Idem veteranus sua experientia vel decimam partem militiae nunquam cognoscet: nec enim tam breui temporis spatio usus rerum omnium occurrit: Historicus autem econtra omnia scit, omnia intelligit, nec vlla res eius inspectionem effugit. Quid quod veteranus quantumcunque viginti annos militiam secutus sit, bellorum causas, progressus atque exitus rarissime intelligit: eorum administrationem, stratagemata ac difficultates ignorat: consiliorum, intercessionum ac necessitatum, quae paci, concordiae, compositioni occasionem dedere, penitus inscius: Historico haec omnia constant, id quod (vt ita dicam) belli anima est, reliqua vero quasi particula saltem corporis. Porro quod de bello dixi,

dixi,



dixi, itidem de omnibus negotijs, quæ in gubernatione incidunt, intelligas: & de ipsis exemplo horum iudicabis. Ac licet contra promissum, longior in hac parte fuerim, tamen quasi Epilogi loco id addo: adeò historiæ studium circa omnium cognitionem versari, vt & leges non sint nisi historia, quæ continet sententias atque consilia veterum prudentium, quibus Respub. constituerunt, & ciues in pace atq; virtutis cultu continuerunt: nec alia de causa eæ hodie addiscuntur, nisi vt idem præstare valeamus. Quin etiam Medicina, historica commemoratio est experientiæ ab antiquis medicis factæ, iuxta quam nostri iudicia & medicamina sua dirigunt. Postremò ad gubernationem Reipub. tractationem bellorum, sustentationem regni, potentiae amplificationem, boni electionem, malique fugam, quid Historia meli-



melius vel commodius est? Id quia pauci intelligunt, ideo tam paucos rectè regere videmus: Quot etenim Principes inuenies, qui historias diligenter legant: & si id faciant, de vero ipsarum usu cogitent? Nam plerunque voluptati, quam varietas negotiorum secum adfert, intenti, non considerant, quomodo eæ ad usum domi vel foris, siue in publicis, siue priuatis negotijs sint applicandæ.

Atqui historia non est inuenta gratia fallendi, sed lucrificandi temporis: ita vt quis vno die perfectè intelligat, id quod aut nunquam toto vitæ tempore, aut tardè admodum cognosceret. Namque historia est vitæ humanæ compendiaria instructio, exemplum morum & naturarum hominum, negotiorum index, certa actionum experientia, prudens atque fidelis in rebus dubijs consultrix, magistra pacis,  
dux



dux belli, portus ac requies omnis generis hominibus. Itaque Consiliarius historiaram cognitione instructus sit, ac utinam, ut hæc rectè dicuntur; sic etiam accipiantur.

Cæterùm hanc qualitatem, ut & alias, experientia cognosci cupio, hoc modo: ut Princeps cum aliarum rerum, tum harum atque similiarum, quæstiones ipsi præponat. Quoties (ne ab exemplis Hispaniæ meæ longiùs recedam) mutationes in regno Hispaniæ, Galliæ, & Angliæ acciderint? quæ familiæ regna possederint? qua occasione? quamdiu? quæ mutationis causa extiterit? quot ex quaque familia rexerint? Quis ipsorum clarissimus vel obscurissimus fuerit? quot quisque bella gesserit? contra quem? quo tempore? qua occasione bella mota atque composita sint? Ab annis mille quingentis, Hispani & Galli quot prælia commiserint? in quot  
vtri-



utrique victores & victi fuerint?  
 Quæ utrisq; victoriæ & cladis causa fuerit? Quot intra duo millia annorum, tumultus ac motus in Hispania & Gallia excitati? ex qua causa? quomodo compositi? quid denique boni vel mali attulerint?  
 Is qui bene ad has, similisque quæstiones responderit, quin bonus historicus censendus sit, dubium non est: atque re & tempore exigente, verum historiarum usum explicare sciat.

Quintò ad Consiliarij habilitatem pertinet scientia, quibus extremis ac finibus virtutes & vitia definiantur. Ignorantia enim huiusmodi multos in errorem abducit: ac Consiliarius vulgari opinioni assentiens, imprudentiæ labem effugere nequit. Complures namque, imò ferè omnes huius inscitia, hominem quietis amantem, timidum; astutum, proditorem



proditorem : rudem, bonum : igna-  
uum, mansuetum : imperitum, vel  
vicio naturæ, vel laboris fuga, sim-  
plicem : iracundum, apertum : su-  
perbum, magnificum : furiosum atq;  
vesanum, fortem : prodigum, libe-  
ralem : auarum, prouidum : supersti-  
tiosum, sanctum : doctum, curiosum :  
curiosum, stultum appellant : ac si-  
mili ratione reliquis vitijs atq; vir-  
tutibus contraria nomina, pro libito  
imponunt. Id autem vitium ma-  
ximum, & verè diabolicum est : &  
si Consiliarius ei obnoxius sit ( vt  
esse obnoxium necesse est, si propri-  
etates virtutum rectè distinguere  
nesciat ) Principem cum regno de-  
struit, atque euertit. In omnibus  
namque rebus, de quibus delibera-  
tio incidit, primò consultatur, hone-  
stum nec ne sit : nec minus in mune-  
ribus atq; officijs distribuendis vir-  
tutū ac vitiorū distinctio necessaria  
est, ne album pro nigro accipiant.  
Quòd



Quòd si cognitione huius partis  
 Consiliarius destituetur, fieri nequit,  
 quin Princeps in remuneratione be-  
 neficiorum sæpius decipiatur. Qua-  
 re tandem infero, hanc esse vnam  
 qualitatam, quæ maximè Consilia-  
 rio sint necessariae. Eam verò Prin-  
 ceptus in Consiliario suo probabit, ip-  
 sum de hisce atque similibus ma-  
 terijs interrogans: Quæ homini ad  
 summum bonum aspiranti necessa-  
 ria sint? Quid faciendum, vt popu-  
 li amor acquiratur? Qua ratione ef-  
 ficiatur, vt alicui in omnibus dictis  
 fides adhibeatur? Ob quas res po-  
 pulus quem omni honore ac laude  
 dignum iudicet? In quo fortitudo  
 modum exuperet? Quæ ad iustiti-  
 am requirantur, cum multis alijs si-  
 milibus. Ex quibus cognosci pote-  
 rit, quæ Consiliarij sapientia sit. Nec  
 minor experientia ex actionibus et  
 ius sumetur, inuestigatione facta,  
 quibus præceptoribus sit vsus, vbi

stu-



studiorum gratia vixerit, cum quibus familiariter versatus sit, quorum autorum lectioni operam, & quibus rebus tempus impenderit.

Sexta habilitatis nota est, vt sit versatus in gubernatione Reipub. tam pacis quàm belli tempore, & rebus ad ea pertinētibus. Nam cùm officium Principis in gubernatione & defensione consistat, vtrumque horum & paci & bello aptatur: sed tamen gubernationis nomen paci, defensionis bello magis conuenit. Et si vtrumque horum quomodo administrandum sit, ignoretur, fieri nō potest, vt Consiliarius quid conducibile suscipiat. Ideo ei sciendum est, vniuersam societatem ciuilem corpore & anima, vt his verbis vtar, constare. Pro quo declarando, corporis appellatione, locum habitationis vel domicilij intelligi volo: in quo primò considera-

D dera-



## 44 DE CONCILIIIS

deratur, an coelum calidum, frigidum vel temperatum sit: situs in continenti vel maritimus, prope flumen aut stagnum, an altus, an humilis, humidus vel palustris, fertilis aut sterilis, propinquus hostibus an ab ipsis remotus, quibus denique ventis expositus. Nam secundum harum rerum considerationem aedificia sunt extruenda, plateae vel dilatandae vel coangustandae: aliae vento exponendae, aliae autem occludendae: domus extollendae aut deprimendae: hic palatia ibi alia aedificia conueniente modo ponenda: hoc est, vel rotundo, vel quadrato, vel triangulari, prout ratio loci tulerit. Haec quia vulgo ignorantur, ideo temeraria & imprudente aedificatione, occasionem frequentibus migrationibus praebere videmus. Ego mea aetate, viginti aut triginta millia coronatorum in publica aedificia impendi vidi, sed fru-



frustrà: nulla alia de causa, nisi harum rerum neglectione, vel ignorantia. Id verò neutiquam accideret. parte Reipub. quam corpus nomino, rectè à Consiliarijs intellecta.

Porrò animæ appellatio Reipub. formam continet: hoc est, vt consideretur, an sit Monarchia, qualis est in Hispania, Lusitania, & Castilia: an Aristocratia, vt Venetijs, & olim Spartæ: vel Dimocratia, qualis ætate nostra est Helueticorum, qui Suiceri vocantur: vel an Reipub. gubernatio nobilitati & Regi (vt iam in Dania, & olim Romæ temporibus regum vsque ad Tarquinius) vel plebi ac Regi (vt in Persia) vel nobilitati & plebi (vt Romæ ab eiectis regibus, Lacedæmone, Athenis, & nostra ætate Florentiæ, Senis, & in alijs quibusdam Italiæ ciuitatibus) vel denique Regi, nobilitati & populo (vt in Germania, Polonia,



& Arragonia) communis sit. Atque his cognitis itidem sciendum, quomodo in prædictis Rerumpublicarum formis regna dilatentur, conseruentur, & amittantur, quibus legibus ac magistratibus, periculis incidentibus occurratur. Nulla ratione fieri potest, vt Consiliarius, harum rerum imperitus, principi remedium sanandis Reipub. vulneribus commodum ostendat: vel consulat, quomodo ipse erga amicos, confœderatos, hostes, ac alios sese gerere debeat: vel qua ratione eis commodari aut noceri possit. Et hætenus quidem de parte politica, quæ circa pacis tempora versatur, dixi: iam & bellica excutatur. In hac Consiliarium scire velim, quæ virtutes ac qualitates in bono milite, Capitaneo ac duce sint considerandæ, quomodo copiæ colligendæ, armandæ, deducendæ ac collocandæ: qua ratione confligens



gendum, recedendum & hosti in-  
sistendum sit. Quot verò modis in  
hoc à Cōsiliarijs peccari solet? Ideo  
censeo, Consiliarium insigni politi-  
cæ cognitione tinctum esse debere.  
Atque hanc, quam dixi, qualitatem  
Princeps experientia probet, ex Cō-  
siliario sciscitando Rempub. con-  
cernentia, vt sunt hæc, & aliusmodi:  
Meliusne sit ædificari in solo ferti-  
li vel sterili? Quibus ventis menia-  
na ædificiorum sint componenda?  
Quot modis principus amitti so-  
leat? Ex quibus causis seditiones  
oriantur, & qua ratione sedari pos-  
sint? Principis potentia ànne in di-  
uitijs, vel præsidio militari confi-  
stat? Quot, quantisque modis pax  
honestè rumpi possit, contra eum,  
qui nullam eius occasionem dede-  
rit? Præstetne domi expectare ho-  
stem, an ei obuiam prodire? Quæ  
Principi considerata sint, ante &  
post pacis fœdera rupta, quæ itidem



ante & post conflictū : & quæ, siue victor, siue victus sit. Quòd si quis ad has & similes quæstiones apposite responderit, facile conijcietur, quàm utilis Consiliarius Reipub. futurus sit.

Septimò, idonea animi qualitas in Consiliario ex peragracione multarum terrarum cognoscitur, maximè Principis sui, amicorum, hostium, & vicinorum eius. Hoc verò peregrinationis studium, cum cura & prudentia quadam coniunctum esse conuenit, non otiosum ac inconsideratum, quale esse solet hominum oscitantium atque errorum, qui quasi nundinas adentes oculos pascere, nihilque comparare solent. Peregrinatio, quam in Consiliario requiro, eiusmodi est, vt de gubernatione vtriusque temporis, re ditibus regnorum ordinarijs ac extraordinarijs, de mutua Principis & subditorū beneuolentia,

tia,



tia, de munitionibus, de hominum  
 natura, ac alijs similibus rebus cog-  
 nitionē capiat: quibus rebus & pru-  
 dentia paratur, & quis ornatior do-  
 mum redit, rebus perceptis, in qui-  
 bus maxima consiliorum dandorū  
 pars quolibet tempore consistit. Qui  
 alia peregrinandi ratione vitur,  
 tempus inutiliter perdit, frustra bo-  
 na consumit, corporis valetudinem  
 destruit, vitæ salutem mille peri-  
 culis, citra suum vel alterius com-  
 modum, obijcit. Hinc cuiusdā Nea-  
 politani non possum non meminisse,  
 qui suo cognato, cœpiam ade-  
 undi exteras terras ab ipso petenti,  
 respondisse fertur, vt primò Ro-  
 mam proficisceretur, inde reuertenti  
 veniam, quam peteret, concessum  
 iri. Iuuenis huic mandato obtempe-  
 rans, quod iustus erat, facit: cū au-  
 tem domū rediret, Princeps cognito  
 quòd nihil utilitatis ex peregrinati-  
 one referret, ipsi dixit: Fili, vidisti



prata, planicies, montes, valles,  
 agros, sylvas, nemora, campos,  
 saxa, fontes, flumina, arbores, pa-  
 gos, castella, ciuitates, homines, a-  
 nimalia, & quidquid in orbe terra-  
 rum inuenitur: domi itaq; te iam  
 contine, & quieti te da. Hic vir pru-  
 dentissimus, quantum in tali re dici  
 potuit, dixit: ac regulam mundi  
 perlustrandi acutè dedit, abusum  
 vulgarem reprehendens. Cōsiliari-  
 us, qui cum prudentia peregrinatus  
 fuerit, & extera regna inter sese,  
 & singula cum patria sua contulerit,  
 hunc ad minus inde fructum fe-  
 ret, quòd meliùs bona atque mala  
 patriæ suæ cognoscat, formam ab-  
 rogandi mores corruptos, & melio-  
 res introducendi norit: sciet hospi-  
 tari, & excipere exteros: hominum  
 animos meliùs perspiciet: amicitie  
 sint, an inimici: & pro ratione ne-  
 gotiorum se accommodabit his,  
 quæ conditio temporis ac Princi-  
 pis



pis exegerit. Adhæc, locorum & temporum occasiones, opportunitates & difficultates sciet: nullus ei falsarum rerum relatione imponet, nec à iudicijs aliorum pende-  
 bit. Porrò hanc Consiliarij qualitatem, Princeps experientia deprehendet, interrogando ipsum de peregrinationibus, hoc modo: Quot miliaria Gallia in longitudine pateat? Quot in latitudine complectatur? Quas munitiones habeat? Vbi aditu facilima sit? Quot flumina non vadosa habeat? Quæ virtus Gallorum præcipua? Quod maximum ipsorum vitiû? Quo præcipuè delectentur? In quo nobilitas Gallica ab Hispanica differat? In quo vulgus Gallicum ab Hispanico? Quod ædificiorum Gallicorum & Hispanicorum discrimen? Vter duorum Regum absolutiore sit potestate? Quo modo populus istorum regnorum Principi sese op-





opponat? Gallorum seruitia, quam dissimilitudinem cum Hispanicis habeant? Gallia qua ratione copias congreget, exerceat & instruat? Quomodo rex prospiciat, ne in transitu agricolæ & rustici damno afficiantur? Quod autem dixi de vna gente, idem de omnibus alijs, quas volet, interroget: & alteram cum altera conferri curet. Neque etenim quod de Gallia & Hispania exemplum dedit, aliò spectat, quàm vt id alijs regnis ac terris aptetur: id quod & de alijs exemplis, quæ in hoc libello inueniuntur, dictum volo. Ad extremum certissima regula cognoscendi, an quis, quid utilitatis ex peregrinando retulerit, erit: si præter exposita, diligenter animaduertatur, quid in familiari colloquio, de terris, quas peregrinando obiecit, iudicet. Nam qui de terrarum exterarum dignitate quid temere



merè detrahi, suamque patriam immodicè effert, is vel affectibus indulget, vel improuidus, vel rudis, vel stultus est, nec res discernere nouit. Vbi verò deest distinctio, ibi & electio: vbi hæc, & prudentia: cum hac reliqua deinde omnia deficiunt.

Optimæ qualitatis idoneæ indicium consistit in intelligentia viri-um & potentia Principis, confœderatorum, vicinorum ac hostium eius. Nam vt Medicus primò omnium temperamentum & virtutes naturales in corpore humano intuetur: sic Consiliario-qualis, quantaque potentia sit Principis, confœderatorum ac inimicorum eius perpendendum est: aliàs enim nunquam consilia salutaria dabit. Ignorantiâ huius rei, Consiliarij sæpius Principes, cum quibus in pace viuendum erat, intempestiuè committunt, & pacem cum his fo-



uendam consulunt, quibus arma inferenda essent. Idemque de foederibus dicendum: in quibus, ut & alijs rebus omnibus, non secus ac caeci in tenebris versantur. Bonus Consiliarius utrumque studio habet, & Principis sui, & hostium vires nosse, quanti ipsorum reditus ordinarij & extraordinarij sint, unde, & qua ratione, & quo tempore conficiantur, quantas copias educere, quam diu eas alere possint, quam eae instructae & exercitatae sint: quibus ducibus regantur, qui ipsis & qua ratione sint confederati: quam hi firmi vel debiles: quibus rebus terrae vtriusque abundant, & vice versa careant, cum alijs eiusdem generis. hic etenim est modus potentiae alicuius Principis metiendae. Nec hanc qualitatem alia re quam experientia cognosci arbitror: quae earundem rerum, de quibus iam dicere desij,

scisci.



sciscitatione continetur. Regula sit generalis atque certissima, hunc qui immodicè Principis sui actiones laudat, vires prædicat, potentiam extollit, hosti eius detrahit, eumq; maledictis & opprobrijs insectatur, boni Consiliarij nomine indignum. Nam si id ignorantia fiat, ea ipsa reprobat, atque refellit; cùm Consiliarium gnarum, et rerum, quas tractat, intelligentem esse conueniat. Si verò hypocrisi quadam, adulator censendus est, qui non Reipub. sed sibi ac suis vtilia dicet: & consilia ad commodum priuatum, non Principis sui referet.

Nota, quæ in Consiliario requiritur, qualitas est, Reipub. studium: vt non saltem publicum commodum amet, sed & in eo promo- uendo propriam vtilitatem & auto- ritatem ita negligat, vt Reipub. vi- tam, honorem atque fortunas im- pendere paratus sit. Hæc est vna ex





## 36 DE CONCILIIS

virtutibus, quam præ cæteris omnibus in Consiliario Plato effert. Res cum verissima, tum certissima est: verum amorem vigilantem atque sollicitum esse, porro animus sollicitus nunquam quiescit, omnium rerum cura afficitur, nullius obliuiscitur, omnia quæ necessaria sunt, prouidet, considerat & suscipit. Itaque talis, quem dico, amor, vna est optimarum qualitatatum Consiliarij. Ac si verus sit atque syncerus, multo pluris commoda publica quam priuata faciet. omnem etenim utilitatem atque honorem in publica utilitate collocat: qua deficiente, & priuata necessario deficiet: & ideo iacturam rerum priuatarum publicis postponit. Eo modo tenuia atque exigua crescunt & adaugentur, acquisita pacifice conseruantur. Contrarium verò si fiat, res quoque eodem modo sese habere necesse est: id quod historiæ omnium seculo-

lo-



lorum testantur. Namque nullum imperium in hodiernum diem usque, vel amplificatum, vel conseruatum est, nisi per homines hac Nona qualitate præditos. Et e conversò, ubi homines contrariæ qualitatis Rebuspub. præesse cœperunt, eodem die talis earum inclinatio est facta, ut penitus tandem conciderint. Non possum mihi temperare, quin vnum atq; alterum exemplum ad hoc adducam. Nam licet in hoc promissum transgrediar, veniam tamen me apud æquum lectorem impetraturum spero, quòd exempla doctrinæ plenissima sint, & earum rerum, in quibus plerunque à Principibus peccari solet. Callicratides, qui dux fuit Lacedæmoniorum in bello Peloponnesiaco, cum classem saluam conseruare posset, eam ab Arginusis remouendo, & prælium cum Atheniensibus citra rerum suarum detrimen-



tum declinare, id facere recusauit  
quod diceret: Lacedæmonios illa  
classe amissa, aliam parare posse: se  
fugere sine suo dedecore non posse.  
Quare prælio facto, classis eius pro-  
fligata, maximo Lacedæmoniorum  
damno in hostium potestatem ve-  
nit. Verùm Quintus Fabius Roma-  
nus diuersam rationem amplexus,  
& iniurias sui exercitus, hostiùm-  
que, per contemptum atque irrisionem  
Cunctatorem ipsum appellan-  
tium, patienter perpessus. Hanni-  
balem multis victorijs exultantem,  
ita cecidit, vt patriæ libertatis, &  
oppressionis Carthaginensium au-  
tor fuerit. Vnde antiquitate & pru-  
dentia celeberrimus poëta Ennius,  
eum carmine singulari concelebra-  
uit: quod, quia dignum est Regum  
palatijs aureis literis inscribi, appo-  
nere libuit:

*Vnus homo nobis cunctando restituit  
rem:*

*Non*



*Non ponebat enim rumores ante salutem:*

*Ergo postque magisque viri nunc gloria claret.*

Callicratides semel recedere noluit, ne gloriae periculum subiret: Fabius saepius tergiuersando praelium detrectavit, nulla nominis ratione habita. quantum itaque Reipub. profuit? Callicratides de rerum summa cum incommodo decertare, quam ignominiosè terga verte-  
re maluit: Fabius cum infamia fugere (ex vulgi opinione loquor) quam Rempub. in discrimen conijcere, potius duxit. Callicratides cum amissa victoria, Rempub. vitam atque honorem perdidit, cognomine Temerarij deformatus: Fabius cunctatione, cum Repub. vitam & honorem conseruauit, gloriosum cognomen MAXIMI, à rebus praecclare gestis, referens. Id verò quod dixi de rebus magni mo-  
men-



menti, idem & de minoribus accipi  
 volo, eas hac commonefactione  
 strictim attingens: ex qua & Consi-  
 liarij commodo publico consulere,  
 & Principes iterum atque iterum  
 animaduvertere discant, Consiliari-  
 os eligendos hac nona qualitate  
 præditos. Porrò Princeps illam ex-  
 perientia, quæ hæc sit, cognoscat.  
 Simulet se quærere consilium in re  
 commodis publicis penitus contra-  
 ria, dicens: Quantumuis ita sit, ta-  
 men pro regia utilitate & autorita-  
 te facere. Sit, exempli gratia, legis  
 cuiusdam singularis, aut magni pri-  
 vilegij violatio, vel immoderati tri-  
 buti exactio, cum alijs similibus:  
 tunc statim responsum, Consiliarij  
 erga Rempub. animum arguet, at-  
 que ostendet. Alios modos, quo-  
 rum multi adhuc sunt, consultò  
 prætereo, partim quòd intellectu  
 faciles sint: partim, quòd haud du-  
 biè multos quasi aculeis pungerent.

Qui



ET CONSILIAR. 61

Qui aures habet, audiat. Regula certissima est, exceptione carens: *Omnes hypocritas & auaros, boni publici hostes esse: ut & adultores, qui dicere non verentur, Omnia esse Regis: & quòd de ipsis pro libito statuere, onera atque grauamina quæ velit, imponere possit: hoc etiam adiicientes, Regem consilio labi non posse.*

Decima, aptum publicis consilijs animum declarans, qualitas, est scientia medicinæ, laborantis prouinciæ corpori adhibendæ ita, ne dum alterius partis medelæ intentus est, alia negligatur: prout ab imperitis medicis fieri solet, qui dum vni membro curationem adhibent, alteri incommodant. Ideo bono Consiliario, omni affectione commodorum, amicitia, cognationis, partium, & aliarum rerum seposita, vera pietas cum prudentia con-



coniuncta, sequenda est: quæ nescit, nec potest, nec vult vlli plus, quàm iustitiæ vel virtuti, fauere. Hanc cognatam, consanguineam, & partium sectatricem habeat; & præter hanc nihil curet, vel respiciat. Consiliarius, vt omnium hominum (ita mihi loqui liceat) homo sit necesse est, omnibus aures det faciles, sine discrimine faueat: hoc tamen obseruato, vt quanto quisque bonitate causæ alijs magis præualere videtur, tantò maior ipsius ratio habeatur. Si quis virtute præditus (imò fortè nec præditus) æqua petat, licet ex diabolica familia procreatus, inter Garamantas & Indos natus sit: tamen ex natione, patria, ciuitate, cognatione, familia, & sanguine Consiliarij prodijisse censendus, omnique eius amore complectendus est. Si quis vicissim, malus, vel non sit, iniqua postulet, licet domesticus, amicus, aut consanguineus



us Consiliarij sit: tamen talis à natione, patria, partibus, amicitia Consiliarij excludetur: ac tantum abest, vt fauore, imò reprehensione & poena dignissimus sit. *Aliud namque est personæ publicæ, aliud privatæ vicem sustinere.* Non plures quàm duæ nationes in toto mundo inveniuntur, alia bonorum, alia verò malorum. Boni, siue Iudæi sint, siue Mauri, siue Pagani, siue Christiani, aut alterius cuiuscunque sectæ, eiusdem patriæ, sanguinis atque familiæ ortu censendi sunt, ac mali eadem ratione. Fateor amicis, domesticis, vicinis, gentilibus, si in æqua libræ lance cum extraneis inueniantur legum diuinarum, humanarumque, tanquam proximioribus subueniendum esse. Sed si extraneus gravitate rationum præponderet, ipse alijs omnibus præferendus est. Vt verò hæc vna præcipuarum virtutum Consiliarij non immeritò est; sic e-

ius



## 64 DE CONCILIIS

ius cognoscendæ gratia, Princeps hæc faciat. Initio animadvertat, numquid suis consanguineis, amicis atque ministris indignis beneficia quærat: aut si digni sint, quare ea alijs dignioribus conferri non curet. Nam qui id, vel simile facit, in hanc qualitatem delinquit. Videat similiter, nunquid propensior sit huic hominum generi, quàm alteri. Sunt etenim, qui ut fauorem Baronum promereantur, nobilibus iniquiores sese ostendunt. Alij, quò nobilibus placeant, vulgus opprimunt. Hi ut brachij Ecclesiastici potentiam augeant, quo iure quâve iniuria totum regnum destruerent. Idverò genus hominum, cum regnum facile pessundare possit, cum primis fugiendum est. Nunquam etenim in Concilium cooptandus est, qui sit factionis caput: vel regni, vel provinciæ, cui præficiendus est, apertus ac manifestus hostis: partim, quia



ET CONSILIAR. 65

quia omnes natura mali nascimur, ita ut occasione vindictæ oblata, neutiquam ipsam prætermisuri, & gubernacula Reipub. tractantes, sub specie iustitiæ, vindictam priuatam armis publicis quæsituri simus: partim, quia aduersariæ factionis caput, conspiciens hostem apud principem gratia, potentia ac auctoritate valere, indignatione accenditur. Ea verò non amplius contra hostem, sed principem, qui defensor factionis aduersæ factus sit, toto impetu conuertitur. Ita verò complures, cum partium vel factionum patrocinium suscepissent, miserabiliter periisse legimus.

Vndecima qualitas, ex iustitia & bonitate Consiliarij perspicitur. Nam qui hisce virtutibus præditus est, quæ cuique debentur, distribuit, malos castigat, bonos præmio afficit,



## 66 DE CONCILIIS

afficit, mediocritatem in vtrisque  
 obseruans, ne poena vel asperior,  
 vel remissior, remuneratio debito  
 minor vel maior sit. Talis pacem  
 & bellum suo tempore & loco, nul-  
 lo in discrimine ponit. Vir iustus,  
 fidelis perpetuò est: id quod omni-  
 um maximum in Consiliario duco.  
 Et experientia testatur, eiusmodi  
 ab omnis generis hominibus, maxi-  
 mis & minimis, diuitibus atque  
 pauperibus, viris ac mulieribus, plu-  
 rimi fieri & adamari. Et sanè qui  
 iustitiæ laudem habet, omnibus nu-  
 meris absolutus meritò putandus  
 est. Huic securè & sine periculo,  
 bona, coniunx, filij, honos, vita &  
 mors committuntur. Ne interim  
 dicam, iustitiam inter reliquas vir-  
 tutes eam esse, vt ipsæ sine hac pa-  
 rum possint, hæc absque alijs vale-  
 at plurimum. Quare censeo Prin-  
 cipi cum primis animaduertendū,  
 vt Consiliarius iustus ac bonus sit.

Eius



Eius autem cognitio tali experientia capiatur. Dicta hominis iusti graua sunt, virtute nituntur, veritati consonant: idem ipse absens qui praesens est, non aliud ore profert, quam quod in corde reconditum habet: in dictis ac factis aequè apertus est, malefacta aliorum cum benignitate ac mansuetudine reprehendit, actiones ipsius comitatem ac benevolentiam spirant, neminem animi sui sententiam caelat, plus merito nec vult nec exigit, bonis fauet, malos castigat, & vbique virtutem colit. Idem calumnias auersatur, nugas & mendacia fugit, non aliud in ore quam in corde habet, nec aliud praesens, aliud absens loquitur: non est hypocrita, bilinguis, multò verò minùs delator. Nam delationes, non minùs infidelis, quam humilis atque abiecti animi certissima argumenta sunt. Nec ad hunc vsq; diem delatorem fidelem

E fuisse



fuisse, compertum est. Adhæc, vit  
 iustus vitia absentis non reprehendit, si coram id facere possit. Quod  
 ipsemet non viderit, vel manibus  
 palpitaerit, vel vitæ periculo im  
 minente non narrabit: adulatori  
 bus, delatoribus vel calumniatori  
 bus aures minimè præbens. Omni  
 no facta viri iusti cognitu facilima  
 sunt, cum singulis in pace atque  
 quiete viuit, suo contentus, hono  
 ribus vel diuitijs non inhiat, do  
 mum atque familiam bene compo  
 sitam habet, iustam atque mode  
 stam vitam agit, in debitis soluen  
 dis minimè difficilis, contentio  
 num ac litium fugax. Neutiquam  
 enim iustus esse potest, qui iurgia,  
 rixas, lites, contentiones atque dis  
 cordiam quærit. Nec iustus censen  
 dus est, qui sua sorte contentus non  
 viuit: sed vel arte, vel vi, vel fauo  
 re, honores atque diuitias ampli  
 ficare conatur. In summa, iusti  
 tiae



tiae laude carent, qui virtutis via neglecta, diuitijs atque honoribus comparandis student: & qui, cum virtutem colant, eius præmium atque testimonium petere negligunt. Horum etenim postremo, se, suosque iniuria afficiunt, virtutem inobscurant, & Rempub. offendunt. Idque legibus diuinis & humanis repugnare statuo. Neque etenim assentior falsæ sententiæ eorum, qui sub nomine humilitatis, id de quo loquor, ambitionem appellant. Ambitio namque eorum est, qui cum sint inhabiles atque indigni, ommissa virtute, gratia, aut potentia, aut artibus illicitis ad diuitias & honores aspirant. Sed qui virtute, habilitate, atque laboribus ad altiora emergere & peruenire conatur, hic iustus, magnanimus ac generosus habetur, & si præmiū virtutis nō expetit, iniustus, timidus atq; abiectus est. Verūm eō,



unde oratio digressa est, reuertatur. Is qui domum malè dispositam, ac ministros malè moratos, ac contentiosos habuerit, labores aliorum grauatim remunerabit, debita inextricabilia conflans, litésque ac seditiones excitans, iusti nomen non meretur. Aut vt rem in pauca conferam, crudelis atque ingratus iusti esse nequeunt.

Duodecima qualitas, quæ habilitatem Consiliarij commonstrat, est liberalitas: hac quippe populus præcipuè capitur, hanc amat ac veneratur. Auarus econtrà omnibus inuisus est: & vt auaritiam expleat, cuncta venalia habet. Quæstus aures ipsius populo, ac fores omni proditioni aperit, modò sine periculo eam patrare queat. Hic in concilio si sit, per fas ac nefas aliorum bona publicæ proscriptioni subiicit. Nam ea ipsi commodo cedit: licet interdum summæ difficult.



cultates in regnis inde oriri soleant. Dilapidator ac prodigus consumit ac dissipat sua, deinde in infinita peccata prolabitur, ex quibus amissio famæ subsequitur: coniuncta grauioribus ac deterioribus incommodis, quàm quæ auaritiam comitari consueuere. Ideo Consiliario, inter duo extrema, media via incedendum est. Huius autem qualitatis cognitio ab experientia pendet, quæ huiuscemodi erit. Liberalis, elocationibus honestarum puellarum opitulatur, pauperibus succurrit, captiuos redimit, æs alienum agnatorum dissoluit, eosque pro virili in rebus omnibus subleuat: liberalia ingenia, quæ Reipub. prodesse possint, fouet. Prodigus ex comestationibus sumptuosiss, vestitu splendido, torneamentorum ac chorearum inanium celebratione, venationibus, sustentatione merionum, adulatorum, seruorum-



uorūque nihili, & rerum eius-  
 cemodi cognoscitur, cū modus  
 in ipsis exceditur, & ea alieno loco  
 ac tempore fiunt. Auari verò ani-  
 mus, victu, vestitu ac domicilio  
 sordido atque abiecto retegitur:  
 quin omnia ad se rapit, & plus sua  
 quàm Principis negotia curat, in o-  
 mnibus actionibus proprium com-  
 modum quærens, in petendo assi-  
 duus, in mendicando importunif-  
 simus. Id quod vitium quàm maxi-  
 mum est. Nam negotia Principis  
 tractanti, non de priuato, sed Prin-  
 cipis commodo, honore & utilita-  
 te cogitandum est. Et Princeps,  
 quò Consiliarios in fide, officio ac  
 diligentia retineat, de ipsis hono-  
 randis, amplificandis, ac collocan-  
 dandis vicissim quoque curam  
 suscipiet. Hoc etenim modo ipsi ni-  
 hil postulabunt, & tam pro Princi-  
 pis quàm proprijs commodis defa-  
 tigabuntur, perspicientes se sine eo  
 nihil efficere posse.

Deci-



Decima tertia qualitas est, vt  
 Consiliarius sit beneficus, hoc est,  
 propensus ad bene de alijs meren-  
 dum. Hæc est illa virtus, quæ Be-  
 neficentia dicitur: nec in largitio-  
 ne pecuniarum aut aliarum rerum  
 consistit, vt liberalitas: sed in pro-  
 mouendis commodis Reipub. &  
 partibus eius, in admonendo, lau-  
 dando, reprehendendo, consolan-  
 do, procurando, defendendo: non  
 solum auxilium ac beneuolenti-  
 am expetentes, sed & ea ob virtu-  
 tem commerentes. Quinimò be-  
 neficus si videat vias publicas, fon-  
 tes, ac pontes, similiâque indigere  
 refectione, in id vnâ cum Principe,  
 atque ministris suis omni cura in-  
 cumbit, quò maturè atque utiliter  
 reparantur: ac si quæ malè fabri-  
 cata sint, diruantur. Idem, iacentes  
 atque oppressos subleuat, ingredien-  
 tes ad currendum incitat, currentes  
 corroborat: ac si sit in aula Principis,





rectè facientes animat, atque vt in  
notitiam Principis perducti hone-  
stè sustententur, efficit: ad fastigi-  
um honoris & gloriæ, virtutis viâ  
contendentibus, fidem, dexteram  
que porrigit. Quos verò artibus  
illicitis atque inhonestis ad ea spi-  
rare vider, deijcit atque propellit.  
Inhonestis ludis ac iocis sese oppo-  
nit: vt bonæ leges condantur, &  
inviolabiliter seruentur, curat. Tã-  
dem, qui hac virtute præditus est,  
iustitiæ protector, defensor populi,  
refugium nobilitatis, pater patriæ,  
Principis ornamentum, & quasi de-  
us in terris habetur. Nam ad no-  
cendum, minimum quòdque et-  
iam sufficit: ad commodandum au-  
tem virtus Deo similis requiritur.  
Proinde Consiliario hanc virtutem  
amplectendam, eamque per expe-  
rientiam rerum, de quibus dixi,  
cognoscendam esse, collectione  
quadam concludo.

Deci-



Decimaquarta qualitas, qua  
Consiliarij habilitas cognoscitur,  
est, vt mansuetus atque benignus  
sit. Talis namque summos &  
infirmos, diuites ac pauperes, ea-  
dem facilitate audit, illos hilari  
fronte excipit, attentè & diligen-  
ter ad ipsorum desideria animad-  
uertit: in respondendo beneuolus,  
in officiorum pollicitatione grauis,  
ijs denegandis minimè supercilio-  
sus, in reprehendendo neutiquam  
iniurius: in hominibus dimitten-  
dis minimè asper, vel se efferens.  
Hinc euenit, quòd, qui apud Prin-  
cipem gratiam obtinet, decuplo  
pluris eam faciat, quàm sit: & qui  
desiderio frustratus est, in beneuo-  
lencia, humanitate, dulcibus verbis  
atque aperto pectore acquiescat.  
Hæc etenim eius sunt efficaciam, vt  
plus moueant animos, quàm toti-  
us mundi aurum. Et electione ac  
experientia docemur, multos do-





lore quarundam rerum magis ad  
 vitæ atque bonorum neglectionem  
 impulsos, quàm infinitis iniurijs.  
 Consiliarii fores ac aures, noctu-  
 diuque omnibus pateant: nec cui-  
 quam occasionem det animi abijci-  
 endi, omnes confirmet: id quod à  
 beniguitate & comitate alienus mi-  
 nimè faciet. Huius verò qualitatia  
 cognitionem, Principis experien-  
 tiæ committo: quæ ita instituetur.  
 Benignus atque affabilis, alacritate,  
 vigilantia ac diligentia cognosci-  
 tur, vestitu honesto atque polito ve-  
 titur, consuetudine gaudet, factio-  
 nes auersatur, nullius familiarita-  
 tem refugit, neminem iniuriolis di-  
 ctis insectatur, argutis & gratiosis  
 delectatur, honestam libertatem a-  
 mat, à simulatione & ostentatione  
 alienissimus. Homo iracundus, aut  
 cholericus, neutiquam potest esse  
 benignus, aut affabilis: litem mo-  
 uebit, si vel asinus canem memori-  
 derit



derit ( quod aiunt ) nulli audienti-  
am præbet, statua taciturnior est:  
præ impatientia lites excitat, nego-  
tia euertit, ac Principem à subditis  
alienat, easdē calamitates superbus  
quoq; ciet. Qua de caussa cēseo, eius-  
modi naturæ homines, ad Concilia  
naturâ inhabiles atq; ineptos esse.

Decimaquinta & vltima qua-  
litas, qua habilitas Consiliarij pro-  
batur, est fortitudo. Ea verò non  
intelligitur de fortitudine corpo-  
ris, sed animi interioris, à qua He-  
roici viri cognominantur: id est,  
semidei. Quæ corporis est fortitu-  
do, etiam in baiulos cadit, & alios  
homines, qui vitam teruncio, Ca-  
rum instar, venalem habent. Forti-  
tudo verò, de qua loquor, est eorum  
qui virtutis studiosi sunt, hanc re-  
spiciunt, & animo excelso tuentur:  
& pro eius defensione, quæ alijs ad-  
mirantur, nihili faciunt: videlicet  
odia, fauorem, diuitias, paupertate-



rem, requiem aut laborem, vitam vel mortem: sed contenti sunt fortuna præsentis, siue ea prospera, siue aduersa sit. Maxima aularum pestis est, quòd aut veritas rarò dicitur: aut ita occultatur atque obtegitur, vt difficilima sit cognitu. Proinde bene & argutè Carneades dixit, à regibus nullam artem rectè disci,

*Assentatio adulatorum, perpetuum malum regum: qui dum ea que volunt, libenter audiunt, se adulari sinunt, & falli a quo animo patiuntur. Plut. in vita Annibales.*

præter artem equitandi: propterea quòd solus equus, quoniam non sentit Principis ac plebeiij discrimen, nescit adulari regi: sed excutit, quicumque is fuerit, qui non aptè norit insidere tergo. præclarè ostendens, quàm non Principibus per adulatores veritatem intelligere liceat. Cõsiliarius itaque fortis, non solùm veri-



veritatem Principi dicet: sed & vanitatem eorum refellet, qui ipsam vel fucatis mendacijs, vel falsis adulationibus corrumpere conantur. Ad omnes fortunæ casus, siue bonorum, siue patriæ, siue vxoris, siue filiorum, siue honorum amissionem, fortis vno eodémque tenore sibi constat: animo non frangitur, vel turbatur, suæ rationi dominans. Ideoque re exigente, negotijs Principis consulere, & Principi ac populo loqui, respondere, animumque erigere potest. Præterea non est quod timeatur, talem corruptelis obnoxium esse: vel à iustitia ac fide, largitionibus, amicitia, consanguinitate, precibus vel timore dimoueri. Cognoscetur autem hæc qualitas à Principe, tali modo, Homo fortis amicus est veritatis, infensissimus adulatorum hostis, seueritatis obseruator, perpetuo tenore sibi constans, delatoribus



inimicus, in sententia dicenda liber,  
 à superstitione alienus, in dictis gra-  
 uis, Principi iuxta ac alijs sententi-  
 am minimè dissimulans. Caueant  
 Principes eligere Consiliarios, qui  
 simulatores, adulatores, inconstan-  
 tes, & veritatis occultatores ament:  
 auersentur Consiliarios, alieni sor-  
 didè appetentes: nam hi non so-  
 lum libertatem suam, sed & alio-  
 rum vendent. fugiant hos, qui ob  
 amissionem fortunarum, filiorum,  
 & similibus, lamentis ac lachrymis  
 se dedunt, vultus ac pectora con-  
 tundentes, & sese mœrore confici-  
 entes, namque tales, fortes minimè  
 sunt: sed effœminati, molles, & ad  
 Reipub. gubernacula inepti.

Et sic quindecim qualitates, qui-  
 bus cognoscitur, an, quo ad ani-  
 mum, quis muneri Consiliarij ap-  
 positus sit, nec ne, sint absolutæ.  
 Quarum prout plures vel pauci-  
 ores in vnoquoque inueniuntur,  
 ita



ET CONSILIAR. 88

ita vel aptus vel ineptus iudicabitur : omni dubitatione remota, quin concursus dictarum qualitatum, præclarum bonitatis, prudentiæ, virtutis ac fortitudinis specimen sit. Bonus neminem decipit, prudens non decipitur : fortis omnes difficultates ac asperitates devincit & subigit. His itidem virtutibus ac qualitatibus ornatus, à populo colitur. Neque etenim ei liberalitate, beneficentia ac commitate gratius quidquam est : eius in dictis factisque fidei cognitæ, nihil non concreditur. His namque fortunas atque honores committere solemus, qui rerum, quas tractant, perfectam solidamque cognitionem habent, easque iuste atque fideliter administrant.

Ad hæc, talis, sententia atque iudicio omnium, honoribus amplissimis, præ alijs, dignus censetur. Magnum quippe atque illustre in-





genium esse necesse est, quod tam multiplices variásque artes didicerit: res, in quibus alij felicitatem collocant, nihili faciat, atque excelso animo despiciat: ita, vt, quicumque eo sit sensu, verè nobilis, illustris, excellens, potens denique iudicandus, atque cum maximis principibus meritò comparandus sit.

Quæ corporis qualitates  
in Consiliario requirantur.

CAPVT III.

**N**atura & æstimatio hominis, vt & alterius cuiuslibet rei, qualis & quanta sit, aut experientia, aut coniectura cognoscitur. Harum experientia perfectione, bonitate ac veritate præstat: & ideo in omnibus rebus debet esse prima. Coniectura



ctura verò quasi nota ac signum est,  
 quæ interdum fallere potest. Ve-  
 runtamen non propterea penitus  
 reiicienda est, sed ei, quantumuis  
 non usquequaque certæ, secundæ  
 sunt deferendæ: vt quæ experien-  
 tiæ comes, ac quasi pedissequa sit.  
 Ad hanc doctrinam ego, quò ha-  
 bilitatem Consiliarij demonstra-  
 rem, eam ad experientiam, quæ in  
 dictis ac factis cuiusque consistit,  
 direxi: cùmque & dicta & facta,  
 ex animo quasi fonte profluant, pro-  
 pterea ea habilitas animi à me est  
 appellata, atque (vt visum est Ca-  
 pite præcedenti) in quindecim  
 qualitates distributa. Iam itaque  
 subsequitur Coniectura; quæ est,  
 vt Consiliarij idonea natura, ex  
 ternis quibusdam Corporis signis  
 comprobetur: quæ altera pars est,  
 quam in principio præcedentis  
 Capituli me tractaturum promisi.

NON



Non autem arbitror necessarium  
 insistere in ostendenda efficacia at-  
 que virtute signorum corporis, eo-  
 rumque origine, & similibus, quæ  
 circa hæc moueri possent: sed hoc  
 loco indicasse sufficit: quemadmo-  
 dum signis quibusdam agrorum fer-  
 tilitas, vel sterilitas, equorum boni-  
 tas aut vitiositas, deprehendi solet:  
 sic hominum corporibus notas, ac-  
 cidentia, vel signa inesse, quæ animi  
 ipsorum affectionem testantur. Cùm-  
 que hæc ita se habeant, ne longior  
 in his sim, ad expositionem qualita-  
 tum corporis Consiliarij accedo.

Prima itaque habitudo est, ne Con-  
 siliarius triginta annis minor, vel  
 sexaginta maior sit. Nam qui tri-  
 ginta annis iuniores sunt, experien-  
 tia destituti, ac vitijis naturæ quàm  
 maximis obnoxij, perturbationibus  
 animi concitatoribus, calore iuue-  
 nili, præcipiti temeritate, inflato  
 spiritu feruntur, debitam gravita-  
 tem



tem seruare inscij: proinde populus plerunq; consilijs ipsorum diffidit. Post annum sexagesimum ingrauescente ætate, memoriæ vigor flaccescit, intellectus vacillat, experientia in obstinationem conuertitur, calor actionum stimulus minuitur, quo ipso rerum occasiones negliguntur, corpora debilitata atque laboribus fracta itineribus faciundis inepta sunt: itaque aulæ inutile pondus putantur. Non me latet, cuiuslibet regulæ, quantumuis generalis, suas exceptiones esse: & iuuenes nonnullos ante triginta annos, & senes post sexaginta, inueniri eiusmodi muneri sustinendo aptos: sed & eorum pauci sunt, & ego de vulgationibus & certioribus loquor. Quocirca mea sententia est, vt Consiliarij, intra trigessimum & sexagesimum ætatis annum constituti, eligantur: quòd hi, non interueniente impedimento, ad triginta



ginta annos deseruire possint: &  
 quòd, vt mediæ, inter iuuenilem &  
 extremam, ætatis sunt, sic humores  
 æquabiliores temperatiórésque ha-  
 beant. animi affectionibus tranqui-  
 lioribus sunt, rerum vsu, memoria,  
 iudicio, ac viribus corporis, &  
 robore valent, vitijs paucioribus  
 affecti, grauitatem conuenientem  
 seruantes, peregrinationibus obe-  
 undis appositi: à populo, consilijs  
 ipsorum acquiescente, culti: vt ob  
 id omnino, huius ætatis Consilia-  
 rij Principi sint eligendi, & qui  
 eam nondum attigerint, Scholas  
 adeant, terras exteras videant, mo-  
 res gentium cognoscant, linguas  
 addiscant, castra sequantur, & re-  
 bus, quas in præcedenti Capite  
 commemoravi percipiēdis, vacent.  
 Sexagesimum verò annum egres-  
 si, domum reuertantur, in otio  
 ac tranquillitate viuant, consciēti-  
 am labe vitiorum aspersam exone-  
 rent.



rent, animæ salutem curent, & de beato hinc excessu cogitent: à Principe, quasi iam stipendio confecto, honores, priuilegia, ac reditus pro meritis recipientes.

Secunda corporis nota, index habilis Consiliarij est, Temperatio seu Constitutio, quæ vulgo Complexio dicitur. Sunt etenim temperamentorum alia natura capacia, apta atque illustria: vicilsim alia stupida, inepta & tenebricosa, & hæc quidem, quantumuis noctu diuque omnem animi contentionem ac diligentiam in corrigenda naturæ temperatione adhibeant, nihilominus tamen ea, inuita Minerua (quod aiunt) tentare videntur: illa & diligentia & arte exigua, quæ volunt, assequuntur: & si velint, maiora præstare possunt. Quapropter, meo iudicio, Consiliarius aut sanguineæ vel cholericæ, non alterius, sit constituti-



tutionis. nam ijs temperationibus  
 præditi, ingenij acrimonia, memo-  
 ria, iudicioque valent, iusti, affabi-  
 les, fideles, benefici, magnifici, ma-  
 gnanimi, fortes, corpore alacres,  
 agiles, sani & bene temperati sunt.  
 Tales, ex his quæ iam dicta sunt,  
 & alijs cognosci poterunt. Nam  
 cum & res facilis sit, & Princeps  
 bonorum Medicorum copiam ha-  
 beat, cum ipsis in electione Consi-  
 liarij de hisce conferet, ac omni  
 cautione adhibita animadvertet, ne  
 Melancholicum aut Phlegmaticum  
 recipiat. Nam huiuscemodi natura  
 sunt inepti ad Reipub. gubernacu-  
 la, maximè verò ad Consilia dan-  
 da. Melancholicus etenim, vt  
 natura frigidus & siccus est: sic  
 terrestris constitutionis naturam  
 refert, animo abiectissimo humi  
 serpit, nec sese citra laborem à ter-  
 ra tollit, rudis, tristis, vanus, præ-  
 clare cogitatis infestus, malitiosus  
 ac



ac superstitiosus : ita vt hac temperatione præditi, semper religionem suis stultis somnijs corruperint, atque euerterint. Ad hæc, ultra modum suspiciosus, & inuidus, ita vt ipsissima inuidia esse videatur, sese mœrore, tristitia ac cruciatu conficiens, absque ratione ad arma vel verborum contumeliam profilit : quantòque magis ætas aggravescit, tantò minùs scientia crescit. Demum Melancholici Saturno subiecti sunt : à quo genere hominum Astrologi & Philosophi ita abhorrent, vt memoriæ proditum sit ab Apollonio Tyaneo Ephesi Melancholicum inuentum, qui totam civitatem corruperit, & in ea pestem maximam excitarit. Postremò Phlegmaticus, rudis, ignarus, in-tempestivus, & inscius est, nec vlla virtus excellens in ipso inuenitur, sed omnes infra mediocritatem subsistunt.

Ter-



Tertia habitudo, corporis est statura, quæ proceritate & crassitie media sit. Extrema etenim vtriusque autoritatem Consiliarij minuunt. Nam immodicam proceritatem, omnes philosophi & astrologi, à recta figuræ humanæ norma abesse, probabilibus rationibus existimant. Proceros rarò sapientes conspici, præcipuè si nimium macro corpore, & collo oblongo sint: ideoq; eos ineptos ac nihili pronunciare non verentur, prouerbum constituentem, AMENS LONGVS. Breuis figuræ homines tot vitij obnoxij non sunt, quot in proceris inueniuntur: nisi quòd temeritate & iracundia magis quàm iudicio feruntur, & populi irrisioni expositi, autoritate debita excidunt. Idq; natura cum accidat, excusatione omni caret. Proinde Princeps, quò ad id fieri potest, ab electione eius figuræ hominum abstineat: & eadem



dem de caussa, vel macie, vel crassicie exuberantes Consiliarios non adoptet. Neque etenim quisquam risum cohibet, videns hominem cupa crassiolem, vel Congrio macilentiolem. Prætereo interim incommoditates, quæ ex immodica pinguedine, vel macie prouenientes, ad negotiorum tractationem homines ineptos reddunt. Consiliarius ergo, mediocris staturæ ac portiois sit.

Quarta est, membrorum omnium iusta proportio & conuenientia, vel defectu, vel exuperatione in re quaque minimè vitiata. Nam quodlibet horum, animi deprauati, vitiisque affecti significationem habet, & offensionem in oculis aspicientium commouet. Iusta verò proportio corporis, est legitima conuenientia membrorum, ita vt caput, vel aliud membrum magnitudine ac paruitate suo corpori iustè

F respon-



respondeat. Discrepans ac aliena  
 econtrariò est, habere brachium  
 longius alio, manum unam maio-  
 rem altera, alterum humerum de-  
 pressiore aut altiore altero, &  
 ita de alijs membris. Integritas  
 autem partium corporis consistit in  
 hoc, ne qua vitio laboret: ita vt  
 homo sit luscus, gibbosus, claudus,  
 mutilus, aut à natura deficiente vel  
 exuperante alio modo notatus.  
 Nam, vt Physici, & præcipuè Ga-  
 lenus atque Hippocrates censent,  
 qui ita naturâ nascuntur (non lo-  
 quor de his, quibus id casu accidit)  
 vitijs animi, morum & vitæ labor-  
 rant. Ac ferunt, Aristotelem pro-  
 verbij loco in ore habuisse, Cauen-  
 dos, quos natura notârit. Hasce ob-  
 causas, & quia tales vulgò inuisi-  
 esse consueuere, existimo, notis in-  
 clementioris naturæ suffusos, gu-  
 bernationi Reipub. minimè præfi-  
 ciendos.

Quin-



Quinta & vltima nota in Consiliario habitatis corporeæ index, est vultus comitas. Nam qui hac virtute præditi sunt, ea sola sibi auctoritatem & beneuolentiam conciliant. Quare Consiliarius habeat caput mediocre atque rotundum, non acuminatum, aut nimium paruum: vultum longiorem quam rotundiorum, non paruum, vel nimium carnosum: frontem magnam aut mediuam, non paruum, vel tristem: oculos mediocres, claros, alacres, atque sedatos: non nimium magnos, paruos, turbidos, aut instabiles: nasum aquilinum, non crassum, aut contortum: labia grandiuscula, non tamen pendula. In summa, vultus sit graciosus & placidus, bonosque mores præ se ferens.

Et hoc notæ ac coniecturæ, quæ habitatem Consiliarij, quoad corpus demonstrât, finitæ sint à me:



neutiquam dubitante, futuros, qui meam diligentiam in tractatione rerum minutissimarum, ut superuacuum, sint reprehensuri. Quibus responsum volo: præterquam quod hæc exilia, tanti momenti sint, ut maiora sine eis subsistere non possint: & quid bene perfectèque tractaturo, omnia ita percurrenda, ne quid omittatur. Reuocet unusquisque ad animum, secumque reputet, in emptione domus, non solum fundamenta & muros inspicit: sed & stabula, & loca alia, quæ verè recundè nominari nequeunt. Quam rō itaque magis omnes partes, accessuris ad Reipub. gubernacula, inspiciundæ erunt? Equum decem, quinquaginta, centum, aut ducentis coronatis comparaturi, annon eius pilos, caudam, crura, ossa, latera, carnem, formam, incessum, cursum, statum, pabulum, aquationem inspicimus? & annon Prin-

ceps



ET CONSILIAR. 5

ceps ipse caput eius demulcet, osq;  
vt dentes videat, aperit? Quare  
itaque superuacanea dicentur ea,  
quæ perfectionem eius demon-  
strant, qui in manibus suis, fortu-  
nas, honorem, vitam & mor-  
tem Principis feret?

## De electione Consiliarij.

### CAPVT IIII.

**D**uas res in Consiliario spectan-  
das esse, in principio secundi  
Capituli dixi. Altera est, ipsius  
habilitas, quæ præcedentibus Ca-  
pitulis exposita est. Superest, vt &  
de altera dicatur, nimirum electio-  
ne, quæ penes Principem est: neque  
ea aliud est, quàm vt ipsi Consilia-  
rium electuro ostendatur, quomo-  
do sese gerere debeat. Dico itaque,  
F 3 Prin-



Principi ante omnia ob oculos habendum, ex Consiliariorum electione, honorem, utilitatem, infamiam atque ruinam suam & populi pendere. Ne verò prolixior sim, ex multis aliquas rationes huic proposito accommodas, adducam.

PRIMO itaque iudicium, quod de Principis virtute fit, ex habilitate & integritate Consiliariorum eius sumitur. Nam si sint prudentes atque idonei, Princeps prudens creditur: ut qui perspiciat, quales idonei ac apti, & iidem quomodo in officio ac fide retinendi sint. Sed si tales non inveniuntur, nec aliqua Principis prudentiæ existimatio esse potest: quandoquidem in re principali errat. Qui autem in ea delinquit, ut quoque in alijs erret necesse est. Nam, quemadmodum si scaturigo fontis corrupta sit, aqua omnis, quæ inde fluit, necessario quoque deprauata est: sic sacro Cōsilio



filio malè constituto, vniuersam gubernationem errore duci oportet. Proinde populum in Principis celebratione vna voce memorare videmus, quòd sapientes Consiliarios habeat: & si quis intra has singulari virtute emineat, publicè inrentis digitis dicentem conspici. **HIC EST** ille, talis tantusque Cōsiliarius, nec in ulla re magis, quàm hac, populus acquiescit. Econtrariò autem, cunctos murmurantes, frementes atque indignantes conspicias, si diuersum fieri videant. Nam si bellum suscipiatur, omnes regnum bonis Consiliarijs destitui conqueruntur, hostem viris paci bellogi accommodatissimis instructum: populus turbatus atque percussus, sibi circumuento calamitates impendentes, deplorat. Dubium porro non est, quin boni Consiliarij omnis salutis autores sint. Id quod probè intellexisse mihi videtur Propheta



David, cum in bello, quod ei cum Absalone fuit, semper Deum precatus est, ut intellectum Consiliario ipsius intimo adimeret. Magis namque consilium Achitophelis, quam arma & artes reliquorum omnium reformidabat. Sit Princeps bonis Consiliarijs instructus: & utcunque errore captus de via decedat, nemo erit qui id credet, vicissim, nisi tales habeat, etiam ei, quod oculis rectè factum videtur, fides autoritasque detrahetur: vel fortuna, vel hostium negligentia factum esse putabitur. Ex quo consequitur nil aliud, quam ad Principem ex bonis Consiliarijs, non solum felices actionum successus, sed & honorem & existimationem, tam apud suos quam extraneos, peruenire. Sui namque cum amore ei parent, peregrini eius virtutem exhorrescunt, utrique vno ore eum tollunt. Hæc itaque prima sit com-  
moni-



monitio, quam Princeps in Consiliarij electione diu multumque animo voluat; atque de ea haftenus dictum sit.

Secundò, Princeps sibi persuadeat, talibus, de quibus iam dixi, Consiliarijs, æquè sibi, ac pane, quo vescitur, opus esse: idque vt veritatis audiundæ ei copia sit. PRINCIPVM namque aures, multitudine adulatorum, quibus circumsepti sunt, ad simplicis nudæque veritatis sermonem plerunque obstruuntur. Veruntamen Princeps, audiendo veritatem facillè autoritatem amittit, si cuilibet eius dicundæ potestas sit. Quare Consiliarios eius qualitatibus, de qua antè dixi, habeat: nimirum qui intelligant, quid veritas sit, eamque suo tempore Principi dicant: ac ijs meritò plurimùm deferat, quo eo officio qualibet in re fungantur. Hic namque modus ad veritatem & adulationes



cognoscendas talis est, ut eò melior inueniri vix queat.

Tertia commonefactio est, ut Princeps, qui multis prouincijs ac terris dominatur, Consiliarios non ex vna vel altera ipsarum, sed ex omnibus deligat atq; adoptet. Eius melioris intelligentiæ gratia, rex Hispaniæ exempli loco proponatur. Hic inter alias terras quamplurimas, regnum Arragoniæ, Castiliæ, Siciliæ, Neapolis, ducatum Mediolanensem & Belgicum possidet. Mea itaque sententia est, ut Consilarii huius Regis non solum ex Arragoniis vel Castilianis, sed & Siculis, Neapolitanis, Mediolanensibus & Belgis constent. Cæterum cum hæc præceptio ex exemplo intelligatur, rege Hispaniæ omisso, in genere de hac materia videamus. Omnino Principi videndum est, si rectè gubernare, atque subiectos in fide retinere velit, ut  
hoc



hoc præceptum sequatur. Nam si alia ratione ager, omnia confundet. Populi namque, ab administratione Reipub. se exclusos atque reiectos esse, nec quenquam suorum consilijs publicis adhiberi perspicientes, incredibile est, quàm rei indignitate commoti stomachentur, existimantes (idque non immeritò) se nullo in numero, Megarensium instar, poni, aut veluti mancipia tractari, aut sibi nihil fidei haberi. Quorum primum, odium generat: secundum, libertatis studium, coniurationes, & Principum peregrinorum euocationes excitat: tertium contra Principem germanum animos erigit, ac obstinatiores reddit. Deinde manifestissimum est, quemlibet mores, naturas, virtutes, vitia, familias, benemerita, & malefacta hominū, commoditates ac difficultates terræ perfectiùs nosse, in qua nasci-





tur & educatur, quàm extraneos. Quare Princeps stipatus Consiliarijs indigenis, meliùs atque commodiùs difficultatibus mederi atque consulere potest. Præterea natura comparatum est, vt maiori benevolentia nostros quàm extraneos prosequamur. Præterquam enim quòd nasci & educari ijsdem legibus maximum inter bonos amicitiae vinculum est: semper in nostris vel sanguinis, vel confœderationis, vel amicitiae, vel officiorum ratione, obligatio quædam inuenitur, quæ in extraneos non cadit. Vnde videmus, & in consilijs, & extra ea citiùs, promptiùs atque diligentius tractari negotia domesticorum & indigenarum, quàm exterorum: & si hi quidquam obtinere velint, id ipsis maximo sudore, contentione vel largitionibus efficiendum esse. O quàm misera terra est, quæ nullum suorum in Consilio Prin-



Principis videt? Quid quòd Princeps, qui Consiliarijs vnius prouinciae delectatur, amoris vel factionis studio rapi, vel affectione peculiari duci videtur? Nam quando omnis fauor, vel eius maxima pars, in vnicam gentem confertur, illa necessario elata superbescit: & aliae indignatione accensae ei inuident, maledicunt atque obtredant: & tandem desperatione quadam rixas excitantes, ad arma veniunt. Quidquid tandem à Principe statuitur quaelibet prouincia ac gens suas virtutes ac vitia, bonos ac malos, doctos & indoctos, argutos & hebetes, aptos atque ineptos, fideles & infideles habet. Nec quisquam mihi obstrepat, sed dicta, prout à me dicta sunt, accipiat. Princeps prudens publica persona est: non itaque praeter rationem, partibus sese coniungat & aggreget. Ciuis narius est omnium prouinciarum



atque terrarum, non itaque se sponte alienigenam efficiat. pater est vniuersorum : non itaque causa est, vt cuiquam se, nisi ratione postulante, vitricum exhibeat. Ad extremum hæc orationis meæ conclusio est : cùm Consilium ad prouincias regendas sit destinatum, id ex omnibus constituendum esse.

Quartò Princeps animaduertat, ne in adoptione Consiliariorū contentus sit his, quos in aula fouet, vel quos visu atque auditu cognitos habet, quacunq; etiam excellentia vel prudentia præditi sint : sed diligenter inquirat, de quot poterit, & præcipuè vicarijs omnium suarum prouinciarum iniungat diligentem inquisitionem, de optimis ac præstantissimis quibusq; : & nominum, quæ ipsis sint, transmissionem, quibus acceptis atque perlectis accersantur, qui omnium maximè idonei existimabuntur : præsertim autem



tem, qui in aula incogniti erunt. Viaticum ipsis, sub alia specie, quàm quòd ad Regem eant, euocatis, pro ratione loci & personarum honestum conferatur. Fieri nequit, ut in huius commonefactionis explicatione, decimam utilitatis partem, quam eius observatio adfert, exponam. Id scire sufficit, ex compluribus bonis faciliorem excellentis electionem esse, quàm ex paucioribus. Ex paucis enim nil nisi exiguum seligitur. Porrò vulgus, videns Principem, ut verum patrem, de omnium honore ita cogitare, eum læto cordis amore prosequetur: nobiles & ignobiles noctu diuq; artibus necessarijs atq; utilibus addiscendis animum intendent, & ut honestam existimationem apud vulgus sibi comparent, & ad dignitatum gradus euehi possint, vitijs relictis virtutem prosequentur, omnesq; offensionum causas fugi-





gient. Princeps quoque similiter hac ratione cognoscat, quàm præstantes viros, & quot, quibusque dotibus præditos habeat: & in omnibus periculis, negotijs, & tractatione rerum sciet, qui quibus in rebus ipsi vsui esse queant. Ex his qui euocabuntur, certum est, quòd plures vel pauciores duobus eligentur, prout necessitas Concilij exigat. Erga reliquos itaque Princeps affabilis & comis sit, vitam ipsorum anteaquam laudet: hos bona spe impleat, atque in virtute amplectenda confirmet: his officia ac redditus conferat, alios in aula retineat, vel domum dimittat: ita benigne atque prudenter erga vnum, quemque pro merito & debito ipsius se gerens, vt omnes bono ac læto animo discedant, & consilio Principis bene prospiciatur.

Quintò, Princeps in electione Consiliarij minimè sit subitus ac præ-



præceps: sed in ea cunctationem adhibeat, quò occasio atque commoditas ei sit perquirendi de habilitate & moribus adoptandorum: quin etiam tempus præfigat, intra quod cuique & generatim & speciatim euocati vel scriptis vel verbis accusandi, eiusque vitia indicandi facultas sit. hac ratione seruata, ut eorum, qui id verè facere volent, securitati & autoritati consulat. Calumniatorum autem malitiam atque improbitatem, poena talionis omni rigore obseruanda, & metu indignationis regiae coerceat. Ad hæc, sub graui comminatione prospiciat, ne candidati inquisitionibus contra se factis vllum impedimentum adferre possint. Sic namque & ipsi, eorumque qualitates cognoscantur: via falsis inquisitionibus præcludetur, boni operas suas promptius offerent, mali atque inepti à petitione dignitatum, metu

infa-



infamiae deterrebuntur. Hoc more antiquitus Romae in electione Magistratum obseruato, Respub. floruit: eo verò exolescente, Reipub. tanta inclinatio facta est, vt postea ruina miserabili conciderit.

Sexta praecipio est, vt Princeps attentè & beneuolè accusationes & inquisitiones contra candidatum prolatas audiat: ijsque non nisi trutinâ diligentiore ponderatis, fidem adhibeat. Nam si sint delationes, infamiam inferentes, cogitet, & veras & falsas esse posse: simulque esse homines malignos, inuidos, ignorantés, ac alijs affectionibus obnoxios, qui candidatum in falsum crimen vocent: nec fallatur auctoritate deferentium, hanc vocem usurpans: Id mihi illustris Dux, reuerendus Episcopus, doctus Antistes, sanctus Monachus, vel talis, vel talis retulit, Nam saepe qua non cre-



credis, latet anguis in herba. Quo  
 significatum volo, omnes nos esse  
 homines, & decipi atq; errare pos-  
 se. quare haud statim omnibus fidē  
 adhibendam: sed id, re exigente,  
 iustae inquisitioni atq; iudicio com-  
 mittendum. Si vicissim inquisitio  
 candidato fauerit, testificans eum  
 tali muneri aptum: ei nec penitus  
 fidem tribuat, nec omnino deroget:  
 sed id excussioni, de qua dicitur,  
 relinquat atque committat. Nec  
 Principem dicere volo. Talis Pon-  
 tificex, Marchio, Eques vel Sacerdos,  
 hoc mihi significauit: quia omnes  
 homines sumus, qui & alios de-  
 cipere, & ab ipsis decipi solemus.  
 Pro certo autem statuatur Princeps,  
 eiusmodi relationes, siue bonae,  
 siue malae sint, à studio proprii com-  
 modi proficisci: quod licet clarè  
 conspiciatur, tamen ei praetextus  
 officij haud dubiè obducitur atque  
 praetenditur, atque reuera pillula-  
 rum



rum auro illitarum instar sunt, quæ amaritudinem, quam in se continent, minimè commonstrant: sed in interiore sui parte occultant. Nunquam prudentiæ datum est id credere, quod experientia comprobari potest. Quare Princeps in hoc diuum Thomam imitetur: nec plus credat, quàm oculis viderit, & manibus contrectauerit.

Septimò, non eligatur Consiliarius, antequam eius virtus atque habilitas sit explorata. Atque hîc non possum non meminisse, quòd ante aliquot menses, cùm de electione vnguentarij Regis Hispaniarum ageretur, rem eò deductam viderim, vt is ex pluribus competitoribus reciperetur, qui meliora pharmaca, & plurima eorum genera conficere posset. Similiter cùm anno quinquagesimo primo, pace in Gallijs rupta mihi colloquium cum Ludouico Bourbonio pontifice, de diplomate



mate securitatis esset, ac de canibus venatorijs tractaretur: ipsum dicere memini, se prius de ipsorum bonitate periculum facturum: & illa deprehensa, se de ipsorum emptione cogitaturum. Id pingui Minerva (quod aiunt) ad propositum, in quo versamur, traductum sit: quòd cum vnguentarij non eligantur, nisi ipsorum peritia probata; nec minùs venatorij canes: quanto magis conueniet, iusta trutina expendi qualitates eorum, qui Consiliarij sint eligendi? Examinatio verò sit, vt Princeps animaduertat, & quidem animaduertat diligenter, an præditi sint qualitatibus & notis, quas in secundo & tertio Capite exposui, eásque modo commemorato à me, exquirat. Nam qui eorum expers fuerit, absolutè inhabilis est; qui verò ijs præditus inuenietur, omni dubitatione remota aptissimus erit: & secundum quod  
 vel



vel plures vel pauciores earum in  
 quempiam cadent, de eius vel di-  
 gnitate vel indignitate pronuncia-  
 bitur. Ita ut habilis atque idoneus  
 Consiliarius duabus mensuris sit  
 metiendus, quarum prima constat  
 quindecim pedibus: quæ sunt quin-  
 decim qualitates, demonstrantes  
 Consiliarij animum. Altera verò  
 quinque pedibus, quæ sunt quinque  
 notæ, attestantes de habilitate Con-  
 siliarij ex forma atque figura. Qui  
 itaque plurimum pedum mensura præ-  
 stiterit, hic reliquis postpositis, eli-  
 getur: sic, ut decem qualitatibus præ-  
 ditus, alteri novem vel octo saltem  
 ornato præferatur. Idque observan-  
 dum iudico absque vlla exceptione,  
 cum omnis generis hominibus, siue  
 diuites, siue pauperes, siue nobiles,  
 siue ignobiles sint: siue gratia polle-  
 ant, siue non. Proinde, si quis po-  
 tentior, opulentior aut gratiosior  
 concurrat cum alio potentia, opibus



ac favore inferiore, sed qualitatibus ad Consiliarium spectantibus eminentiore, hic ipse Consiliarius adoptabitur, alij verò minimè. Hoc verò quod dico, accipiatur, si qualitates qualitatibus præpõderent. Magistratus namq; & honores sunt tribuendi ratione virtutis: non favoris, opum, vel potentia. Cæterùm tunc aliquam horum rationem haberi conuenit, cùm virtus vtrinq; par est: vt si competitorum neuter ab alio vincatur, tunc pro suo arbitrio Princeps officium ei conferre poterit, qui potentia, gratia, vel meritis superior sit: etsi nihilominus tali casu, Princeps eum ornare teneatur, qui plus officiorum Reipub. præstiterit. Certissimũ namq; est, honores atq; officia, vno ex tribus modis dari: aut propter merita, aut gratiam, aut potentiam. Prior virtuti, vltimus abusu assignandus est: medius, licet abusu non careat, tamen is tantus



tus non est, quantus posterior. Ut  
 ut verò sit, vna ex certissimis regu-  
 lis, Principem à tyranno discernen-  
 di, hæc est: quòd Princeps officia  
 atque honores ratione virtutis, Ty-  
 rannus respectu gratiæ atque poten-  
 tiæ ea distribuit. Et notatu dignis-  
 simum arbitror, quòd Princeps, qui  
 in officijs & magistratibus confe-  
 rendis fauorem & potentiam respi-  
 cit, is aut Principatu deturbabitur,  
 aut eum ad tertiam vsque generati-  
 onem non possidebit. Prudens o-  
 mitto multas alias rationes, quæ ad  
 hoc propositum adduci possent: at-  
 que concludo, examinatione insti-  
 tuta, hunc ex omnibus eligendum,  
 qui Regulis à me in secundo & ter-  
 tio capite traditis, magis responde-  
 at: eamque examinationem à Prin-  
 cipe ipso, non alio fieri, par est.

Octauò examinatione & electi-  
 one, perinde ut in præcedentibus  
 continetur, facta: post duos aut tres  
 dies



ET CONSILIAR. 115

dies Princeps designato Consiliario, aulicis præsentibus, atque apertis ianuis, breuiter dicat, eum virtutis ergò, in numerum Consiliatorum receptum: opinionem, quam & ipse & populus de eo habeant, commemorans: hac adiectione, vt cum tanta de eius virtute, bonitate & prudentia, fiducia concepta sit, necessario digna illis, ipsi expectanda, idque nisi fecerit, ignominie atque dedecoris loco sese id habiturum. Postea honorem & utilitatem regni hoc mandato ipsi committet, ne quotiescunque Principem videat, admonitione vel correptione indigere, ea debitæ modestiæ obseruatione omittat. Tandem sine dicendi facto, ei neglecti atque deserti officij pœnas minabitur, & benefactorum certissimam remunerationem vicissim pollicebitur. Huius præceptionis obseruatione fit, vt Princeps populi beneuolentiam acqui-

G rat:



rat: boni, prudentes atque industrij  
incitentur, non solum vt tales per-  
maneant, sed & excellentiores eua-  
dant; & Consiliarius electus, non  
minùs augendæ, quàm conseruan-  
dæ auctoritati studeat.

Nona & vltima commonitio  
est, vt finito superiori sermone,  
Princeps Consiliarium iurisiurandi  
religione obstringat: nimirum i-  
psum fidelem fore, honori & utili-  
tati Principis prospecturum: nec  
propter vllum vitæ, bonorum, con-  
sanguinitatis, vel amicitiae respec-  
tum à tramite iustitiæ discessurum.  
Quo iuramento præstito, nihil reli-  
quum est, nisi vt negotijs adhibea-  
tur. Dicit non potest, quanta vti-  
litas sit huius iuramenti: in præsen-  
tia autem indicasse sufficit, hoc  
Principem securiorem reddi: & si  
Consiliarius infidelis ac perfidus  
hat, Principi iustiore indignatio-  
nis



nis aduersus ipsum, tanquam fidei religionisque contemptorem, causam esse. Consiliarius quoque eadem de causa circumspectior erit, & omnem infidelitatis suspicionem vitabit: ac consanguineis atque amicis iniusta vel inhonesta rogantibus, iustissimam denegandi causam habebit. Populus quoque, à iustitia remota ipsum postulare extimescet: & si æqua denegare, vel contra iustitiam admittere quid velit, contradicere ei non verebitur.

Hæc sunt, quæ mihi in mentem venerunt dicere, primo Libro eorū, quos octo de Concilio & Consiliarijs scripsi, in quo ostensum est, quid sit Conciliū, & quod cuiuslibet Principi bene recteque moderaturo septem Concilia, officijs, ministris & autoritate diuersa, sint constituenda. Similiter quoque monstratū est, quid sit Consiliarius: & quod ad ipsius



habilitatem viginti qualitates re-  
 quirantur, quindecim animi, &  
 quinque corporis. Præterea nouem  
 regulæ Principi sunt traditæ, quas  
 in Consiliarijs eligendis sequatur.  
 Ad horum verò tractationem, le-  
 gis diuinæ atque humanæ autorita-  
 te adductus sum, qua obligamur ad  
 mutuam officiorum communica-  
 tionem, & maximè eorum, quibus  
 Respub. iuuari potest: vt est hæc i-  
 psa materia de Concilio & Consili-  
 arijs Principum. Quod si re ipsa ta-  
 le Concilium constituere potuis-  
 sem, quale scripto adumbraui, ma-  
 luissem oculis hominum, quàm in-  
 telligentia, exemplum bene con-  
 stituti Concilij subijcere. Verùm  
 quia id fieri non potest, velimus  
 quod possumus. Re interea id præ-  
 stent, qui id possunt, & pro tranquil-  
 litate, honore ac vtilitate sua debet.  
 Ad me quod attinet, dum vixero,  
 Deum orare non desistam, quò duo-  
 rum



rum me compotem faciat. Primò, ut oculos Principibus aperiat, quò videant necessitatem constitutionis Concilij & Consiliariorum: aut ut ad minus scrupulum animis ipsorum inijciat, quò interdum ad Cõcilia & Consiliarios respiciant. Tunc namque gradus & aditus ad cetera non contemnendus iactus est, si Princeps, an bonis Consiliaris instructus sit, necne, dubitare incipiat. Nec maior infirmitas esse consuevit, quàm quæ sensu nõ percipitur. Alterum est, ut qui Principibus adsunt, propositis suis utilitatibus & affectionibus, aures bonis ac salutaribus præceptionibus aperiant, utilitatem publicam privatae anteferant, nec falsis persuasionibus ex nigris alba, ex albis nigra reddant. Quod genus hominum omnes ferè Principes destruit atque euertit: hominibus ingeniosis crura, ne ulterius progrediantur,



detrahat: alas, ne alius euolens  
 incidit: oculisque Principum, ne  
 videant, densam caliginem, tetrasque  
 tenebras offundit. Verum hæc de  
 malis dicta sunt, non bonis: quibus  
 hanc operam meam probatum iri  
 certo confido: non ob id quod mea,  
 sed quod bona, & utilis sit. Illi ve-  
 ro, quibus dictis eam excipient &  
 prosequantur? Hic garriet, non esse  
 bonum, Principem tantum laboris  
 in eligendis Consiliarijs capere. Cui  
 responsum volo, non esse laborem,  
 sed requiem. Paucioribus enim ne-  
 gotijs, tam belli quam pacis tempo-  
 re obruetur. Ille vociferabitur, Prin-  
 cipem liberum: ei que facultatem con-  
 ferendi officia, quibus velit, esse.  
 At hic sibi responsum habeat, non  
 esse libertatem, quæ à recta rationis  
 via recedat, sed abusum. Tunc li-  
 ber est, cum rectam rationem se-  
 quitur, aliàs tyrannus censetur: &  
 di-




dicens, Principi licere officia conferre, quibus ipsi libeat, tyrannidis macula obliquè ipsum aspergit. Alius quoque insurget, dicens: Nobiles ac equites remunerandos esse, ratione familiarum & officiorum: Is sibi responsum ferat, & me eisdem sententiæ esse: verum aliud esse gratiam reponere, & aliud Consiliarium facere. Alia namque via ac ratio beneficii compensandi inveniri potest, quam ut Concilijs præficiantur. Quin & prodibunt dicturi, eiusmodi Consiliarios, quales ego descripsi, toto terrarum orbe non inueniri. His hoc responsum doro: Fore, ut, si Principes virtutis ac meritum rationem, non gratiæ, vel potentia, in eligendis Consiliarijs sequantur, multi, ijque præstantes atque idonei, varijs in locis deprehendantur, & dato, quod non sint: Princeps, si tales velit ( ut velle debet )



facilimè etiam ex saxis tales faciet.  
 Nam cum Princeps poësi delectatur,  
 omnes poëmata conduunt: cum  
 Musicæ est deditus, Musicam con-  
 lunt: si bellator sit, nemo non ar-  
 ma tractat: si dicaces amet, omnes  
 argutijs student: si Astrologia dele-  
 ctetur, de Sphæra & instrumentis  
 cœlestibus quoslibet dissertantes  
 audies. Quod si Consiliarios, quales  
 descripsi, benevolentia complectatur:  
 de capite meo sponfionem fa-  
 cere ausim, omnes Barones ac equi-  
 tes intra quatuor annorum spatium  
 præstantissimos Consiliarios fore.  
 Sequatur Princeps proposita à me  
 præcepta, & repentè Aulam cum  
 tota Nobilitate immutari: tempus  
 alioqui turpi atq; ignauo otio, lusibus  
 inhonestis, alea, scortationibus, ac  
 alijs vitijs consumtū, virtutibus ac  
 artibus vtilibus impendi videbit: ac  
 que ex Aula, Scholâ virtutis & sapi-  
 entia fieri. Alijs futilibus ac vanis  
 ob-



obiectionibus respondere omitto, &  
 ad Principes speciatim reuertor:  
 quibus polliceor, si Consiliarios  
 eiusmodi, quales descripsi, elegerint,  
 fore, vt in pace ac tranquillitate  
 viuant: nec solum regna à maioribus  
 accepta conseruent, sed & amplificent:  
 à subditis suis amentur, inimicis  
 metuantur, amicis colantur & obseruentur:  
 denique ab omnibus celebrentur:  
 durabili atq; perpetuo Principatu ad  
 liberos, titulo Magnorum, Optimorum,  
 Inuictorumq; Ducum ad posteritatem  
 transmissio.



G 5

Hip.



HIPPOLYTI  
A COLLIBVS

CONSILIA  
RIVS.

PHILIPPO LVDO-  
VVICO HANOVIAE CO-  
MITI ILLVSTRIS.



AGNUM sane  
Principibus viris  
onus impositū: im-  
perium moderari  
sapienter, iuris &  
quabilitatem cole-  
re, flagitiorum coërcere licentiam,  
excitare virtutis studia, ordinem in  
omni officio conservare, & rem de-  
nique publicam excellentibus meri-  
tis obstringere.

Con.



Consulere patriæ, parcere afflictis,  
ferâ

Cæde abstinere, tempus atque iras  
dare,

Orbi quietem, seculo pacem suo.  
quòque maius imperiũ diffusiusque,  
eò maior cura, ut non immeritò Di-  
ocletianus Imp. nihil difficilius dix-  
erit, quàm bene imperare. Nam si  
administrationem rerum suarum fa-  
miliaribus totam permittant, omnia  
Regni præsidia dilabatur necesse est.  
si per se omnia curare velint, inanis  
curam & sine ullo fructu percipient,  
horumque nullam molestissimis ne-  
gotijs, metu & sollicitudine liberam  
habebunt. Magna seruitus, ma-  
gna fortuna.

metui cupiunt

Metuique timent, non nox illis

Alma recessus præbet tutos,

Non curarum somnus dormitor

Pectora soluit.

Pruden-



Prudenter Saturninus illis, qui imperatoria cum purpura induebant: Nescitis, amici, quid mali sit imperare: gladij & tela nostris cervicibus impendent: imminent undique hasta, undique spicula: ipsi custodes timentur & formidantur. Verum mali huius remedium optimum, idq; unicum, in legum maiestate est, sapientumque consilio, ex quorum sententia quid optimum factu sit, statuunt: nam summis, ut ille ait, Imperij moderatoribus, pia & decora suadentes, instrumenta sunt boni seculi. At difficulter reperiuntur: & pauci qui reperiri possent, Principum aulas vitant. Sapiens enim, ingenium suum, & prudentiam non venditat, nec suas unquam rationes eò confert, ut Principis alicuius gratiam acquirat,



rat, ad cuius nutum & arbitrium  
se totum componat. speciosam illam  
servitutem fugit. quin potius sum-  
mas diuitias in equitate animi, &  
in resecanda potissimum cupiditate  
constituit. semper cupere ( aiunt )  
nihil aliud est, quam semper mi-  
serum esse. vera vita est, odisse ho-  
nores, qui sic expetuntur, ut pa-  
rentur libertatis iactura, pacis,  
otij. Salem Athenis lingere se mal-  
le, quam cum principibus opiparis  
vesci dapibus quidam acerbè nimis-  
um respondit: sed facetè Lacydes  
Cyrenaus, qui à rege Attalo, a-  
micitiam, societatemque in rebus  
agendis promittente, accersitus,  
venire renuit: philosophos quippe ut  
picturas et imagines eminus viden-  
dos esse, non cominus. Intellige-  
bant sapientes hi viri, Principum



familiares varijs non rarò fortuna  
casibus expositos, neque felices eos  
existere omnes, qui regia purpura,  
regioque auro rutilant. ex se autem  
satis didicerant, in rebus humanis  
nil magis expetendum, quàm qui-  
ete, & praeul à publicis muneri-  
bus tranquilla vitæ constantiam.

Felix, mediæ quisquis turbæ  
Parte quietus, aura stringit  
Littora tutâ, timidusque mari  
Credere cymbam, remo terras  
Propiore legit.

Quapropter veri Principis indu-  
stria in sapientibus omni studio in  
bonum publicum vindicandis reti-  
mendisque, meritò semper versata  
est. Ad retinendos duo requiri vi-  
deo. quemadmodum (ait ille) fru-  
ges non tam ingenio soli, quàm  
calt



cæli beneficio, meliorèque temperie  
 letius exuberant; ita & eximia  
 ingenia, benignitate, humanitatè-  
 que Principum virorum excitan-  
 tur & aluntur: alterum igitur est,  
 ut eorum opera, tum clementer &  
 benignè, tum etiam iustè, hoc est,  
 congruenter utantur. Quemadmo-  
 dum enim ministrorum partes sunt  
 obsequium, assiduitas, taciturni-  
 tas, labor indefessus: sic magnatum  
 contrà officium est, consiliarium,  
 (quos boni principes partem sui cor-  
 poris esse statuerunt) sedulitate  
 non abuti, nihil unquam in eos  
 asperum aut contumeliosum dicere,  
 nec acerbè officium exigere, suq;  
 cogitare, se non servis & manci-  
 pijs, sed liberis hominibus impe-  
 ritare, quorum opera si non gra-  
 tuita & voluntaria, at certè libe-



libera utuntur. Alterum est, ne laborum suorum premio ac mercede fraudentur. quid queso equius, quam ut quorum vita in nostris consumitur commodis, eos remuneremus? exemplo vel ab agris sumto, qui à quibus diligentius coluntur & laboriosius, ijs uberiores fructus ferunt. Rerum istarum neglectum magna saepe principibus incommoda fuisse, præter antiquas, historiae etiam recentiores clarissime docent. Atque hæc quidem Principem ipsum respiciunt.

Ceterum quanam ipsius consiliarij partes sint, hoc sermone, quam potui diligentia, succisuis horis persequi conatus sum: an aliquid assecutus, boni lectoris iudicij facio. Id sanè qualecunque est, in splendidissimo tuo potissimum nomine, Comes illustrissime, apparere vo-



lui, cuius in magna fortuna indulgentia, animi moderatio, morum facilitas, & regia denique virtutis indoles, ut de forma dignitate nihil dicam, ita undique eritent, ut de te ornando certasse videantur. atque ideo lubentius feci, quod opportunè hoc ipso tempore, desponsatam tibi audiam, Dei immortalis munere, Nympham principem, in qua, præter illustrissimum genus, forma & venustas conspicitur, sed pudor magis, probitas, sanctitas, & casti mores, quos domestica disciplina auxit, & probum ingenium confirmavit:

Hoc, par non aliud conuenit pulchrius vnquam

Nobiliusve.

Dum igitur alij per varia certatim tibi gratulantium genera in carmi.



carmina erumpent, ac tibi hymenaeum canentes, faces præferent nuptiales: ego hoc qualicumque libello, quo uno iam possum, meam aduersum te obseruantiam testabor: ac tibi felix administrationis tue auspiciam, fortunatum in longum annorum spatium coniugium, longamque propagationis seriem precabor.

Vt senex videas gregem nepotum.

Nec dubito, quin muneris huius (quod ductu auspicioque tuo prodit) tenuitatem, animi tui magnitudo & singularis humanitas subleuatura sit. Vale.

AD





AD NOB. ET CL. VIRVM

HIPPOLYTVM

A COLLIBVS, IV-  
dicij curiæ Archipala-  
tinæ præsi-  
dem,

M E L O S

PAVLI MELISSI FRAN-  
CI, COM. S. PALATII ET  
Equit. ciuis Romani.

*E*VENTVM facilem vix adi-  
piscitur,

*Quicquid consilio non geritur bono.*  
*Iusta*



Iusta examine laevis  
 Res primùm trutinanda erit.  
 Dein cum iudicioq; & ratione mens  
 Prudens suscipiet grande negotium,  
 Atq; indeside cura  
 Effectum dabit illico.  
 Quòd si priua domi res temerè ab-  
 Inconsulta geri, ne vitiosior (nuit  
 Culpa forte laboret;  
 Quantò sollicitam magis  
 In commune bonum sedulitas manū  
 Poscet; Veliuolas Oceani rates  
 Pessum vadere cernas,  
 Ni rectoris opem vaga  
 Constantem trepido turbine sentiāt,  
 Sic rerum dominos exitio pari  
 Accersita ruina  
 Orco precipitauerit,  
 Cautis ni fuerint consiliarijs  
 Vsi, ne simili supplicio mihi

Tortos



Tortos membra videri

Aio Ixionæ rota,

Si quos destituit consilium duces.

Non quemuis procerum fecit idoneum

Terris ritè regundis

Aut natura sagacior,

Aut sictrix animi celsior ars, cati,

Aut mos adsiduis tritior vsibus.

Nam circumspice sodes,

Raris HIPPOLYTE ingent

Donis præ reliquis aucte viris: quotum

Nobis quemque ducum nobilium da-

Cui cum lactis opimo (bis,

Materni sapientia

Accrerit cumulus? Non pote viuier

Regi ulli, vacuo consiliantium:

Vt nec fulgere Phæbo

Experti radijs datur.

Felicem patriam, cui bonus obtigit

Princeps! eximia est dos caNuminis.

Feli-




136

*Felicemque tetrarcham,  
Cui sani bona pectoris!*

MYRTILLETI.

Anno 1596.



QVOD





# QVOD DEVS

BENEVERTAT.



In rebus etiam priua-  
tis nos nobis non suf-  
ficimus; vt cùm agi-  
tur de filia collocanda,  
de fundo emendo, re-

stamento faciendo, societate iue-  
unda, vel alia simili de re: & cer-  
tissimum est, sapientissimum quem-  
que aliorum sæpe prudentia egere,  
medicorum ægotantium more, qui  
alios sibi adhibent medicos; quilibet  
enim in suo negotio hebetior quàm  
in alieno; multò sanè minùs consilio  
aliorum carere poterunt ij, quibus  
multi populi & infinita negotia,  
Tac. l. 4. ann.) eaq; publica, cõmissa  
sunt, qui ita nati sunt, vt bona malaq;  
eorum ad Rempub. pertineant: ij,  
inquam



inquam qui si vel minimum errant,  
 ingenti protinus id totius regni, sæ-  
 pe & orbis malo faciunt. *Gravissimi*  
*Principis labores*, (ait Tacitus, li-  
 bro 12. *annal.*) *quæ orbem terræ ca-*  
*peßit, egent adminiculis.* Idcirco  
 quemadmodum Tyranni fidos cõ-  
 sultores odio habuerunt, ac lum-  
 mos honores ingentésque diuitias,  
 iustissima virtutum præmia, impu-  
 ris & sceleratis hominibus, prædæ  
 obiecerunt, mimis, scurris, lenoni-  
 bus, quorum flagitijs imperia euer-  
 sa: sic optimum contra quemque  
 Principem Consiliarijs stipatum fu-  
 isse legimus, totidem veluti oculis,  
 auribus, manibúsq; *Themist. orat. 3*  
 C. Cæsar Qu. Pe- *& Synes. de*  
 dium & Corn. Bal *regno ad Ar-*  
 bum habuit. Augu- *cad. Dio. Cass.*  
 stus Meccœnatem & *lib. 52.*  
 Agrippam; Adrianus Celsum, Salviũ  
 & Neratium: M. Antonius Scæuo-  
 lã, Mutianũ & Volosianum; Severus  
 Papi



Papinianum, & alij alios. Rarò, inquit Velleius, eminentes viros non magnis adiutoribus ad gubernandum fortunam suam vsos inuenies. Imò sapientiæ argumentum in Principe nullum maius, quàm sapientium virorum consilio vti. Bene enim, inquit Impp. ( l. humanum C. de legib. l. dubium c. de repud. ) in quodam rescripto, Cognoscimus, quod cū vestro consilio, Patres conscripti, fuerit ordinatum, id ad beatitudinem nostri Imperij, & ad vestram gloriam redundare. Non viribus, ait Cicero, ( in Cat. maiore. ) aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur: sed consilio, & auctoritate. Atque ego, inquit Salustius, ( in Orat. Cas. ) multa legendo, atque audiendo ita comperi, Omnia regna, ciuitates, nationes, eo usq; prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt: vbi gratia, timor, voluptas, ea corrupere, statim imminutæ opes, H deinde



deinde ademtū Imperium; postremò ser-  
 vitus imposta est; quod tunc intelle-  
 ctū est, cum Pericles, vt plebis grati-  
 am captaret (Plutarchus) Areopagi-  
 tarum auctoritatem sustulisset, & ea  
 quæ prius in Areopago tractātur ad  
 popp. transtulisset. Nā haud multò  
 post Respublica tum externis, tū in-  
 testinis bellis concussa ruere cepit,  
 (Dionys. Hal. l. 2) Atque hanc fuisse  
 causam vnicam existimant, cur Ro-  
 ma tā diu floruerit, quod qui ei præ-  
 fuerunt, non sua sed Senatus consi-  
 lia sequuti sunt, horū mihi nihil ac-  
 cidisset, dicere Diuus Augustinus  
 solebat, postquā fla- *Senec. 16. de*  
 gitia domi suę in pub- *Benefic. c. 32.*  
 licum emisisset, si aut *Tacitus lib. 4.*  
 Agrippa, aut Mæce- *histor.*  
 nas vixisset. Nullum enim maius boni  
 Imperij instrumentū, quàm bonus Con-  
 siliarius; qui non immeritò pacis decus  
 vocatur. Atq; vt vno verbo dicā, non  
 magis mens & ratio in corpore hu-  
 mano necessaria, quàm Consilium



in Principe. Sed vt commoda etiam alia, quæ ex Principis bene consulti iussis emergunt, omittam, Nonne Princeps ex assiduitate consiliorum in negotijs cæteris decernendis prudentior fit? notum est illud Græcorum: sapientum congressu principes sapiunt. *Princeps bonus fit*, ait Capitolinus (*Iul. Capit. in vita Alex.*) *si bonis amicis utatur. & detur durius quid à Principe imperatum fuisse, iustum tamen & rectum subditis vel vnica hac de causa videbitur, quia consilio prudentum factum.* Neq; maius vllum indicium bonæ mentis ostendere potest Princeps (vt præclare Cominæus) quam si eligat sibi, & ijs familiariter utatur, viros virtute & fama celebres: nam omnes statim iudicabunt, Talem esse Principem, quales sunt eorum mores, quorum familiaritate ipsum implicatum animaduertunt. *Ex Senatoribus Principes noscuntur*, ait apud Tacitum Otho Imp. (*l. 1. hist.*) Adde quod domi-



num illum offendere ciues metu-  
 ant, & ipsius iussis contradicere,  
 quem sciunt omnia cum consilio  
 prudentum agere solere, vt tace-  
 am iucunditatem, qua Princeps, qui  
 sibi bonos viros studio ac beneuo-  
 lentia deuincit, (*Synesius de Regno*)  
 in quorum virtute conquiescat, frui-  
 tur. Quid in vita amico fideli dulci-  
 us? quod prædium quæuè possessio  
 tam opima, tamque omnium fru-  
 ctuum ferax & fertilis, quam ami-  
 cus est? Sed ad rem. Consilium, ait  
 Philosophus, (*Moral. l. 6.*) est inue-  
 stigatio quædam earum rerum, qui-  
 bus ad finem, quem nobis proposui-  
 mus, facile peruenire possumus.  
 Cicero verò excogitatã aliquid faci-  
 endi vel nõ faciendi rationẽ definit,  
 quæ definitiones ita intelligi debent  
 vt illa de consultatione loquatur  
 hoc est, de consilij inuentione, hæc  
 verò de ipso consilio, vt est consul-  
 tationis effectus. At nos (quia hoc in  
 loco consilium pro Principum Sen-



natu sumimus, quo sensu Tullius, qui ex Senatu hoc in consilium delicti estis &c. Consilium dicimus selectorum virorum legitimam congregationem; siue coetum, qui Principi suo, quomodo Respub. bello seu pacis tempore administranda sit, consulunt: unde etiam dictum videtur, quod sc. in unam sententiam plurium mentes consiliant & conveniant. Hinc tria in quolibet consilio requiri patet: *Personas consulentes, Consiliarium videlicet qui consulitur, (l. 3. inst. 8.) & Principem qui sententiam rogat: Res, quæ in consiliu veniunt, & finem.* Tria sunt, ait Quintilianus, in suavorijs seu in consilijs spectanda: quid sit de quo deliberatur, qui sint, qui deliberant, & ad quid. De istis ordine, sed breviter, differere animus est. Consiliarius dicitur, qui Principi suo salutaria de Repub. fi-



deliter & prudenter suggerit. Ex qua descriptione duo notanda, ea quibus instructus esse debet & officium, Consiliarium ijs animi & corporis praesidijs & veluti instrumentis munitum esse oportet quibus finem suum, & ea, quae ad finem spectant, consequi possit. Caput ad consilium de Rep. dandum est nosse Remp. Nemo de ijs rebus sapienter differere, aut alijs rectum consilium dare valet, quas non novit, & notum est illud turpe esse Jurisconsulto, ius in quo versatur ignorare, non minus quam medico & gubernatori morbos cognoscendi & curandi, aut nauigandi peritia carere. Regijs igitur artibus praestet opus est, qui regem est consilio adiuturus, notas habere debet, vt summatim dicam, eas omnes res, quae à Principibus tractari solent, actiones quae ad pacem vel ad bellum spectant: versatus sit in rebus gerendis, atq; in ipsa civili

admi



administratione. Quod ut melius intelligatur, præsidia dicimus Consiliarij esse partim à natura, partim à studio, partim à fortuna, & ut breuius, vel insita, vel acquisita. Insita, ut ingenium, forma corporis: acquisita studio vel exercitio; ut artes, disciplinæ, virtutes. Quam igitur in quouis genere virtutis nemo excellere posse videatur, nisi naturæ fundamentum iactum habeat, Consiliarium ingenio præstātem esse oportet. Nā ut ingentia pondera, quæ nullis hominum viribus eleuari possunt, machinis facile tolluntur, ita quod aliā sæpe ratione nequeas, ingenio id facile efficias. (*Cic. de offic.*) *Animi & ingenii celeres quidam motus, ait ille, esse debent, qui ad excogitandum acuti, & ad explicandum, ornandumque sint vberes & ad memoriam firmi, ac diuturni.* Ingenio inquam Portiano, in rebus ciuilibus tractandis versatili, & indefesso Consiliarium esse



esse conuenit, qui tanquam odorati  
 cuncta, eaq; cernere ac seligere va-  
 leat, qui consilium secundum circū-  
 stantias aptare sciat. vt enim in na-  
 uis administratione alia in secunda,  
 alia in aduersa tempestate vsui esse  
 videmus: sic ma- *Seneca Epist. 71.*  
 gna pars consilij *in pr.*

erit, vt in tempore. *Cōsilia enim rebus  
 aptantur, res ipsæ feruntur, imò volū-  
 tur. quare consiliū sub die nasci debet:  
 & hoc quoq; tardum est nimis: fallaces  
 enim sunt rerum species; sub manu, quod  
 aiunt, nascatur oportet: quod magni  
 ingenii est. Rebus nouis talis esse  
 debet constantia, (Fur. Ceriol. c. 2.)  
 vt rapienda sint consilia, non quæ-  
 renda, vt V. Sabinus dicere solebat.  
 Nimirum hoc illud factum in horas,  
 Si toties res ipsa ferat, noua sumere semper  
 Consilia*

Ingenio præditus dignoscitur, si  
 in dicendo argutus, in respondendo  
 promptus, in accipiendo facilis, in do-  
 cendo clarus, in se- (*Epist. 39. l. 5.*)  
 rijs cautus fuerit. *Neminem excelsi in-*



genii virum humilia delectant, ait Sene-  
ca, & sordida magnarum rerum spe-  
cies ad se vocat. Ingenii vi numerosis-  
simam rerum speciem exiguo tem-  
pore percipi videmus, quævis, vt idē  
auctor alibi, præceptis alitur & cre-  
scit, novâsque persuasiones adijcit inna-  
tus, & depravata corrigit. Quantum  
quæso, vt cætera taceam, solo Dia-  
lecticorū acumine excitatur, quo  
primo intuitu omnem argumenta-  
tionem, non dico ad Philosophorū  
disceptationem: sed ad quamcunq;  
rem propositam elicere poterit. sed  
hoc acumine rectè vti debet consi-  
liarius, ne Sophistæ nomen merea-  
tur. Quod igitur dicimus ingenio o-  
pus esse, id intelligendū non tantum  
acuto & magno: sed alacri etiam &  
apto, quod habeat iudicii directam  
normam. Sine hac enim ingenij cō-  
moditate, negotia plerunq; exitus  
non solum minimè optatos, sed ex-  
itiales etiam habent. Nimis subtilia



& ignea ingenia (vt rectè Curtius)  
 (1.4. & Thucid. l.3.) quæ in assiduo  
 motu versantur, nouandis quàm ge-  
 rendis rebus aptiora sunt: quòd si  
 quid auctoritatis in ipsis est, destru-  
 unt. Fit etiam sæpe, naturæ (dona  
 sua inter mortales partientis) decre-  
 to, vt idè quamuis excellenti inge-  
 nio præditus vir, nō omni negotiorū  
 generi aptus sit, neq; satis feliciter  
 sese varijs hominum ingenijs & stu-  
 dijs accommodet. vtrumque con-  
 currat necesse est. Marcus Cato ta-  
 lis erat, vt si arma sumpisset, natum  
 in armis crederes; si se ad studia cō-  
 uertisset, inter literas educatum.  
 De eo ita Liuius (*Decad. 4. lib. 1*)  
 prædicat. *In hoc viro tanta vis animi  
 ingenijq; fuit, vt quocunq; loco natus es-  
 set, fortunam sibi ipsi facturus videre-  
 tur.* Titi ingenium, ait Tacitus,  
 (*lib. 2. histor.*) quantæcunq; fortu-  
 næ capax & decor oris cum quadā  
 maiestate, famam augebat. Magnū  
 igitur quoq; Consiliiarii ornamen-



tum forma corporis dignitati congruens, oris decus & elegantia. Nam quamuis morbo vel tempore deflorelcat, & nec nostra, nec animi sit; pulchrū tamen amabile suapte natura est, quandoquidem externa pulchritudo diuinæ pulchritudinis imaginem refert, & licet interdum sub ignobili forma lateat pulcherrima natura, & sub ignobili corpore insignis lateat animus, id tamen rarum est. (*Diog. Laer. in Socr.*) Sapientissimus ille pulchros præ cæteris ad philosophiæ studia admittebat: de pulchritudine hîc loquimur, quam Cicero in dignitate, non in venustate ponit: quoniam ubi vera pulchritudo, ibi quoque ingenium pulchrum: in fucata verò, & muliebri pulchritudine omnia fucata. Dignitas corporis apta compositione membrorum mouet oculos, & delectat vel hoc ipso, quod omnes partes cum quodam lepore inter se consentiunt.



P. Scipio Africanus maior, formæ  
 dignitate Barbaris in Hispania ad-  
 mirationi fuit. *Tanta specie, ait lo-  
 uis, (in vita magni Sfortiæ)*  
*ad exprimendum omne decus in ma-  
 gno Sfortia dissimilium rerum pari-  
 tes ratione atque ordine respondebant,*  
*ut à rudibus, rusticanisque, qui eum*  
*nunquam vidissent, pari inter multos*  
*cultu, & sæpe sine comitatu, uti omni-  
 um Princeps atque Imperator saluta-  
 retur.* Ridiculi vulgo sæpe sunt  
 ac dignitatem amittunt, quos natu-  
 ra potius quàm casus aliquis defor-  
 mât. Etiam barbaris hominibus,  
 ait Curtius, in corporum maiestate  
 veneratio est, magnorûmque ope-  
 rum non alios capaces putant, quàm  
 quos eximia specie donare natura  
 dignata est. De æ. *(Claudianus.)*  
 Consiliarii quæri hoc in loco  
 potest, qua scilicet cum fructu legē-  
 dus. iuventus sanè lubrica moribus æ-  
 tas, variis cupiditatibus obnoxia,  
 iræ, desiderio dominandi, ambitio-



ni, intemperantiæ, vehemens est impetus iuventæ in vtramq; partem, Synesius, (*De regno.*) Aristot. l. 2. *Rhetor. de moribus ætatum.* non aliter quàm auctor. de moribus, qua via data bus ætatum, est eruptio, illuc excurrunt avidius. Adde quòd iuvenes sapientia, rerumque gerendarum vsu excellere non possint, nec auctoritate apud populum vel alios, quibus interdum aliquid persuadendum valeant. & dolis etiam haud difficulter capiuntur: vnde non immeritò abortiui vocantur consiliarij. *Cautum est Domine* (scribit ad Traianum Plinius) *ne quis capiat magistratum, neve sit in senatu minor annorum triginta.* Senectus contra vtplurimum timida, suspiciosa, incredula & auara. Quantò enim morti quis viciniore, tantò magis sollicitus & timidus, addo laborum & dolorum impatiens, obliuiosus (quo defectu multæ negliguntur sæpe occasiones) & natura loquacior. quod si



experientia aliqua adsit, ea non raro in obstinationem conuertitur. Hisce rationibus motus Arist. iuniores & senes è numero remouet germanorum ciuium: iuniores quod cives sint imperfecti, senes quod effecti. Cum in quintum gradum perueniant, ait apud Nonium Varro (Varro) atque habebant sexaginta annos, tum deniq; erant à publicis negotijs liberi atque expediti & otiosi. Ideo in prouerbium *Sigon. de antiquo iure ciu. Rom. l. 1. c. de ponte deiici o. 17.* portare; hoc est quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant. A quinquagesimo anno lex militiam non cogit; à sexagesimo Senatorum non citat, ait Seneca. (*Sen. de breu. vitæ c. vlt.*) Media igitur ætas consilijs opportunissima: mediam intelligo ætatem à trigesimo ad sexagesimum vsque annum. Quod in eligendis consiliarijs regulariter



dico: (*lib. 52.*) scio enim & ante  
 trigessimū (quod Dio decreto Me-  
 cænatis statutum scribit) & post se-  
 xagesimum ad munus istud idone-  
 os reperiri posse: sed vt rectè Furi-  
 us Ceriolanus censet, tutius est qui  
 triginta nondum attigerunt annos  
 celebres adeant Academias, pere-  
 grinentur, vrbes morésq; hominum  
 discant, aulas principum intuean-  
 tur, (*cap. 3.*) castra sequantur &c.  
 sexagesimum verò qui excefferunt,  
 sibi viuere incipiant, in otio & qui-  
 ere, quæsitis vtantur, & solius ani-  
 mæ salutis curam gerant. Hinc  
 senibus tanquam emeritis benefi-  
 cia, honores, vacationes mune-  
 rum à legibus tribui videmus. Hæc  
 de bonis insitis & de ætate. Ac-  
 quisita bona circa ea versari dice-  
 mus quæ (vt supra attigi) ad Rem-  
 pub. benè ac feliciter gerendam ne-  
 cessaria sunt: circa notitiam scilicet  
 earum rerum, quæ in omni genere



principatus ad Imperij magnitudi-  
 nem & conseruationem potissi-  
 mum pertinent. Inter cætera, qui-  
 bus munitus esse debet consiliarius,  
 principem locum obtinet prudentia  
 Theologica. Nam cùm impietas o-  
 mnem ex animo peccandi metum  
 euellat, & consilia impiorum frau-  
 dulenta sint, sequitur Religionis  
 contemptum, rerum publicarum e-  
 uersionem adferre. Necessarium i-  
 gitur Consiliario, ne populus in re-  
 ligione fluctuet: quàm rectè vel  
 male sentiant, scire; quàm religio-  
 nis causa coerceri debeant vel non;  
 quomodo sectarum vindices euelli  
 possint &c Neque solùm hoc scire  
 debet: sed & ipse Religioni ex a-  
 nimo addictus esse, votis ac preci-  
 bus Deum colere. (Lactant. de iusti-  
 cia. l. 5. c. 15. nam vt omittam De-  
 um solum esse qui mentem dat, qui  
 animum confirmat, qui opes elar-  
 gitur, qui fraudes intestinas compri-  
 mit,



mit, qui hostium impetum retundit,  
 qui victoriam omnibus, & magnis  
 viris gloriam dat; quomodo quæso  
 Consilium de rebus magnis inire  
 poterit, qui mentem castam, & di-  
 uino splendore collucentem non  
 habet, omne verum lumen, quod  
 admirationem commouet & amo-  
 rem conciliat, in religione situm.  
 talis etiam est opinio, eos qui Deo  
 chari sunt, diuinis consilijs instrui,  
 & ista de causa minimè labi & er-  
 rare posse; id quod & Ethnici vi-  
 derunt, quibus, fictæ licet & com-  
 mentitiæ, religionis opinio auctori-  
 tatem apud quamplures nationes  
 attulit magnam, nullo vinculo ma-  
 gis in officio retinemur, quàm reli-  
 gionis sinceræ præcipuè: quemad-  
 modum igitur nullo modo publica  
 utilitas ab honestate separari, ita nec  
 honestas à pura religione auelli  
 potest. & vt concludam, (*Valer.*  
*Max.*) *Fallunt qui humanis imperijs*

☞



& regibus, non ultionis diuinæ metu  
 Respubl. contineri docent; humana con-  
 silia castigantur ubi cælestibus se præse-  
 runt. Ad prudentiam humanam ve-  
 nio; & Consiliarium Philosophiæ  
 cognitione carere non posse affir-  
 mo. (Cic. de. clar. orat.) Quamuis  
 autem cum de vera philosophia lo-  
 quimur eam intelligamus, quæ in  
 actione consistit, moralem scilicet,  
 familiarem & civilem, alterius ta-  
 men etiam quæ in contemplatione  
 versatur, naturalis scilicet, & Ma-  
 thematices gnarum esse vellem.  
 Turpè esset homini consiliario in  
 Regum & principum aulis versan-  
 ti, & cum magnis viris sæpè con-  
 gredienti loqui nescire de naturæ  
 rerum causis, quæ vis materiem o-  
 mnem, & quicquid ex ea efficitur,  
 & quasi informatur contineat, quàm  
 variæ ex ea & multiformes expres-  
 sæ fuerint qualitates, vnde illa cor-  
 pora extiterint, quæ Elementa vo-  
 camus,



canus, quæ vis fulmina & tonitrua  
 impellat, inusitados ignes accendat,  
 arcum tam varijs coloribus distin-  
 guat, ventorum prælia concitet, ter-  
 ram concutiat, aquis terras aperiat,  
 aut perpetuos terrarum tractus a-  
 quis obruat, & similia. sed Mathema-  
 ticis imprimis artibus instructum  
 eum esse utilissimum fuerit. Astro-  
 nomia, præterquam quod Physicæ  
 proxima est, dat nobis exquisitam  
 Solis & Lunæ cursus, denique o-  
 mnium rerum cœlestium cognitio-  
 nē. Facessite vos Genethliaci & iu-  
 diciarij, qui ex astris homini futura  
 præiudicatis, & ex ijs diuinare vul-  
 tis. Arithmetica supputandi artem  
 per quam necessariam monstrat:  
 quomodo enim acceptorum ex-  
 pensorumque rationem intelliget,  
 si casu aliquo ei quæstorum, alio-  
 rumve suspectorum argentariorum  
 ratiocinationes committantur? Ge-  
 ometria sanè inter alias consiliariū  
 sum.



summè iuuabit, sine cuius ope historiae intelligi, agri rectè diuidi, castra locari, vrbes ædificari, arces muniri, ædificiorum, templorum, ædium, nauium, reliquarumque rerum dimensiones haberi nequeunt. Tolle metiendirationem & iustitiam, (*Bod. l. 6. c. 6.*) ciuiumque concordiam multasque alias utilitates è vita tolles. Quì formam illam Geometricam regendæ ciuitatis intelligere poteris, si quid Geometricum sit ignores, quomodo intelliges Arithmeticas leges intribuendis honoribus, vel in alijs, si Arithmeticam non tenes. De philosophia practica aliquid inculcare superfluum videtur. Planè absurdum esset in Rep. versanti, ea quibus præcipuè Resp. stat, & ex quibus manat, ignorare. Neque aliam Philosophiam intellexit Plato, cum nobilissimam illam vocem tanquam ex oraculo edidit, Tum demum



demum beatas fore Respubl. cum  
aut regnarent Philosophi, aut Re-  
ges philosopharentur. *Nulla lauda-  
bilioꝝ philosophiæ pars est, ait Plinius,  
(Epist. 2.) quàm agere negotium pu-  
blicum, cognoscere, iudicare, promovere  
& exercere iustitiam, quæque Philoso-  
phi doceant, in usu habere.* Hæc Philo-  
sophiæ pars docet, quid honestum,  
quid turpe, quid extremum bono-  
rum & malorum; quomodo do-  
mus regenda, quæ patris, quæ ma-  
riti, quæ heri potestas, quæ instru-  
menta tam animata quàm inanima-  
ta, & quo pacto res familiaris tu-  
enda, quot Imperiorum genera,  
quibus virtutibus & disciplinis im-  
butum esse oporteat, qui Rempubl.  
bene administrare velit. quis sit o-  
ptimus Reipub. status, quibus artí-  
bus inclinatae, ruentésque ciuitates  
subleuentur, & optimis institutis &  
legibus temperentur. Affirmat  
apud Cic. (de Orat.) Crassus, nul-  
lum



lum esse oratorem posse, nisi qui hanc Philosophiæ partem omnem perdidicerit. Omnis enim oratio fit ex ijs rebus, quæ vel agenda vel fugienda sunt: in quibus cum officium omne consistat, sequitur necessariò, ut qui officiorum ignarus est, is etiam in dicendo rerum inops & infacundus sit. Non immeritò igitur exclamat idem: (de Tuscul.) *O vitæ Philosophia dux, ô virtutis indagatrix, ô expultrix viti-orum.* & quæ sequuntur. Scio vulgi opinionem esse, eos, qui Philosophiæ studijs paulo ulterius progrediente ætate dediti sunt, homines in solitudine versatos, consuetudinis imperitos, ad res agendas nulla ratione idoneos esse, σοφούς μὲν, & ἀλλ' οὐ φρονίμους.

*Heu mihi philosopharis? atqui Philo-  
sophi (Atben. l. 13. de inosop. c. 33.)  
Sermone solo sunt Sapientes: ceteris  
In rebus esse noni ego stultissimos. sed*



sed falluntur. Nam non loquimur hic de Philosophiâ, quæ in meris ideis animi vacui ab omni gubernatione fingitur, nec de philosophantibus, qui vel sine iudicio Philosophiæ operam dant, vel nimio eius studio ducti philosophia uti nesciunt, & sapientes sunt, præterquam in ijs, in quibus sapientes esse debent: sed de ijs, qui usum & exercitationem coniungunt. Helvidius Priscus (ait Tacitus) (lib. 4. histor.) ingenium illustre altioribus studiis, inuenis admodum dedit; non ut plerique, ut nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior aduersus fortuita, Remp. capesseret, doctores sapientiæ secutus est, qui sola bona quæ honesta, mala tantum quæ turpia, potentiam, nobilitatem, cæteraque extra animum, neque bonis neque malis annumerant. Quæstorius adhuc à Pæto Thrasea gener dilectus, è moribus saceri nihil æque ac libertatem hausit, cuius, senator, maritus, gener, amicus; cunctis vitæ officijs æqua-



*bilis, opum contemtor, recti peruicax,  
 constans aduersus metus. qui veræ  
 philosophiæ veri fructus. ( Bod. l. 3.  
 cap. 1. ) Ad Iurisprudentiam venio,  
 quæ ex hoc manauit fonte : nam  
 quamuis Principis consistorium li-  
 tibus disceptandis occupari non de-  
 beat, vt suo loco dicemus : nihilo-  
 minus, quia & extra ordinem sæpe  
 iudicaria incidunt, & leges firmis-  
 sima Imperiorum fundamenta sunt,  
 absurdum esset, omnium artium &  
 scientiarum moderatricem & ar-  
 chitectonicen ignorare Consiliari-  
 um. Cùm sis, ait in quadam Epistola  
 Plinius, ( li. 8. Epist. 14. ad Arist. )  
 & privati iuris & publici, cuius pars  
 senatorium est peritissimus : cupio po-  
 tissimum ex te audire, errauerim in  
 senatu proximè nec ne ; non vt in præ-  
 teritum ( serum enim ) sed vt in futu-  
 rum, si quid simile inciderit, erudiar.  
 Sæpe nouæ leges condendæ, sæpe  
 in proditores, peculatores, ambi-  
 tus*



tus & maiestatis reos & latrones  
 animaduertendum. Sed & inter  
 Principes tales exoriri possunt con-  
 trouersiaë, de quibus in magno cõ-  
 sistorio agatur. Quoties enim agitur  
 de iure alicuius ciuitatis? de iure  
 portus, agri, fluuij &c. vnde leui  
 de caussa sæpè bella nascuntur. quo  
 casu efficiet hæc cognitio, vt non  
 solum de re proposita differere do-  
 ctè valeamus, sed etiam ut bel-  
 lum iustè susceptum sit, intelli-  
 gamus. Verùm historiæ cogniti-  
 onem supra omnia Consiliario ne-  
 cessariam dico. Rectè Philoso-  
 phus (*Aristot. l. 2. Rhet. c. 21*) ad  
 consultationem res gestas utilissi-  
 mas esse affirmat: nam vt pluri-  
 mum præteritis futura similia sunt.  
 Tantam sanè copiam & vbertatem  
 earum rerum suppeditat historia,  
 quæ ad vitam rectè instituendam,  
 & Rempub. optimè administran-  
 dam pertinent, vt qui ea legat atten-  
 tiùs



tius, ut à sunt rerum scriptoribus literis tradita, & non idem continuò in omni genere laudis excellat. is planè omni laude indignus videatur. *longum iter est per præcepta*, ait Seneca, (*Epist. 6.*) *breue & efficax per exempla.* Dixi attentius: plæriq; enim cognita re, qua de agitur, tanquam hic vnus sit finis in legendo, ea vna contenti longiùs non progrediuntur. Qui negligenter igitur, exempli gratia, Thucydidis (*lib. 2.*) scriptoris grauißimi, & què inter Græcos senatus historici principem quis audeat appellare, bellum quod conscripsit maximè omnium memorabile inter Athenienses & Lacedæmonios, quod victoribus penè ac victis exitio fuit, percurrit, præter nudam ipsam rem nihil habet, quod quærat: qui verò attentè legit, res ita loquentes audit: (*Brut. de hist. laud.*) Discant Atheniensium exemplo ciuitatum moderatores quiescere, vbi facultas datur, cum pacis atq;



otii tuendi non turbandi causa arma adiumenta sint, ne patiantur se esse ferri cupiditate proferendi imperij in patriæ exitiū, cum certa infamiæ nota ne assuescant aliena bella sua facere. (*lib. 4.*) & per speciem iuuantium amicos, imminere ad eorum perniciem quos iuuant, discant aut compressas habere animi cupiditates, aut quod malum quidem est, sed mitius malū, quoad spes certior rei agendæ affulserit, tectas, occultasque habere, si qua de re controuersia orta sit inter communes amicos, malint auctoritate conciliandis animis vtriusque partis studia, quam armis partem alteram fouendo & sibi exitium quaerere & suis. Sed ad alia aliorum scripta descendamus. Si quis demonstrare velit Principes moderatos esse debere, atque uti potestate in suos legibus præfinita, non immani, non infinita, abstinere à priuatorū iniurijs, quorū alienatis animis nul-



iam potestatem posse diuturnam  
 esse: ita traditum vni imperium in  
 multos vt suorum saluti & orna-  
 mento non dedecori & exitio esse  
 debeat: hæc & talia facile ex L.  
 Bruti historia eliciet. (*Liuius l. 1. 2.*)  
 Si quis Regis optimi expressam ef-  
 figiem habere vult, & virtutum o-  
 mnium quibus efficitur, vt in vno  
 homine contineatur multarum gen-  
 tium salus, fidei in primis admira-  
 bile exemplum, æquè secundis ac  
 aduersis rebus amicitiae cum socijs  
 colendæ, hospitalitatis & munifi-  
 centiae in proximos, is Hieronis o-  
 ptimi Principis vi. *Liuius l. 23*  
 tã sibi proponat. 24.

contra qui Tyrannum in præceptis  
 ruentem, superbum, omnes & o-  
 mnia dispicientem, qui patentes ha-  
 beat aures regionum blanditijs, præ-  
 clusas tutis consilijs, & miserorum  
 querelis, atque dicendi genus con-  
 tumeliosum, is Hieronis generos  
 iii



intueatur. Si quis, quantum mulier  
mali interdum possit, scire auct, is  
quid Demarata apud maritum An-  
dronodorum effecerit perpendat: Si  
magna ærarij difficultas sit, nec alia  
inueniri possit explicatio ratio, is  
consulat M. Marcellum & Valeriũ  
Leuinum Cofs. (*Ælian. l. 9*) qui Se-  
natui populõq; collationem suadẽ-  
dam dicent, ita vt à maiorum genti-  
um dijs initiũ fiat; quod olim Ro-  
mæ ita successit, vt quilibet præci-  
puorum quicquid æris, argenti, auri  
facti infecti, apud se haberet, annulo  
modo sibi retento ac salino, & pa-  
tella sacrorum caussa, & filio bul-  
la, in publicum tanto certamine in-  
iecto contulerit, vt prima inter pri-  
mos nomina sua vellent in publicis  
tabulis esse, & nec trium viri acci-  
piendo, nec scribæ referendo suffi-  
cerent, ait Liuius (*lib. 26.*) Hæc  
ad exemplum dicta. In legenda ita-  
que historia, non solum rerum ge-  
ita-



gestarum, locorum & temporum  
 descriptiones, sed etiam rerum caus-  
 as observavit Consiliarius, consilia,  
 acta, euenta, cur quid gestum, cur  
 quid omissum sit: tum euentus,  
 quid ita hilæti, illi minùs ex senten-  
 tia? casùne factum sit & felicita-  
 te, an virtute & consilio, ut quid  
 præclarè ceciderit. si quid malè eue-  
 nerit, quí occurri potuerit ne eueni-  
 ret: peccatum ne à duce sit, malè pu-  
 ra ducendo agmine, instruenda ac-  
 cie, loco deligendo castris, quò, si  
 quid durius accidisset, facilis esset  
 receptus: quæ victoriæ causa com-  
 misso prælio, quæ victis rei perpe-  
 ram gestæ. *Ad illa mihi (ait Livi-  
 us) (in præfat.) pro se quisque acriter in-  
 tendat animum quæ vita, qui mores  
 fuerint, per quos viros, quibusq; arti-  
 bus domi militiæq; & partium & auctu  
 imperium sit, labente deinde paulatim  
 disciplina, velut dissidentes primò mores  
 sequatur animo: deinde ut magis ma-  
 gisq;*



gisq; lapsi sint, tum ire caperint præci-  
 pites, donec ad hæc tempora, quibus nec  
 vitia nostra, nec remedia pati possumus,  
 peruentum est: hoc illud est præcipue in  
 cognitione rerum frugiferum, omnis  
 te exempli documenta in illustri posita  
 monumento intueri: (Polib. l. 3. histor.)  
 inde tibi tuaq; Reipub. quod imitère ca-  
 pias: inde scædum inceptu, scædum exitu  
 quod vites. Quemadmodum enim me-  
 dici nihil prodesse ægrotantibus  
 possunt, si morborum causas alias-  
 que circumstantias ignorent, ita qui  
 circa res gestas versatur, omni pror-  
 sus fructu carent, nisi & loci & tem-  
 poris & causarum, omniumq; oc-  
 casionum ratio constet: nam nec il-  
 li ægrotos rectè curare, nec isti quic-  
 quam in rebus agendis obire pote-  
 runt, nisi eorum omnium cognitio-  
 nem veram habeant. Admirabilis  
 inter cæteros (Suidas) Polybius  
 est is, qui cum posteriore Africano  
 vixit. Nam rebus explicatis, quem  
 ad modum gestæ, administratæque



sint, tum quid prudenter & callidè,  
 quid temerè & inconsultè; quid  
 cum laude, quid cum dedecore ac-  
 ctum sit, subiungit; vt inde qui vel-  
 lent ad agendum documenta illu-  
 stria habeant. Quod idem Sallusti-  
 us obseruat: euenta enim ita nar-  
 rat, vt causas simul aperiat, vt om-  
 nia nostra consilia, immò om-  
 nes nostras actiones veterum ex-  
 emplorum regula, metiri facile  
 possimus. Sed & Tacitus, qui vel  
 maximè Consiliarij manibus tere-  
 dus, salubrium enim præceptorum  
 politicorum tanquam seminarium  
 quoddam est. Historias intelligo nō  
 tantum veterum Græcorum & Ro-  
 manorum, sed etiam nostri tempo-  
 ris, præcipuè verò familiae Princi-  
 pis, cui inseruit, & (*Fur. Ceriol. c. 2.*)  
 vicinorum Principum, & Rerum-  
 pub. cum quibus ei vel per conse-  
 quentiam res fuit vel est; siue sint a-  
 mici, siue hostes. Qua in re Consili-  
 ari-



arium non parum iuuerit, varias lustrasse prouincias ac regiones, celebres inuississe ciuitates, multarum nationum mores ac vitas edidicisse, sinus, portus, promontoria, montes, flumina, maria, loca denique quaecunque sunt insignia diligentissime cognouisse; vt scilicet ex peregrinatione, exterorum notauerit instituta, mores, vrbes, leges, imperij genus. Magnos viros cognouerit, & allocutus sit: aulas Principum frequentarit. Notauerit, inquam, an prouinciæ, quas viderit, armis munitæ, quænam in ijs bella præteritis temporibus gesta fuerint, & qua occasione: noverit vicinorum Principum potentiam, vt sciat, à quibus sibi timere possent & quibus fidere, aduersus quem bellum gerere, cum quo fœdus inire, qui reditus, quæ expensæ, quomodo Respub. il. *Donat. de Repub. la defendi queat, ven.*

quis



quis status & similia; atque hæc tam exactè, vt ei nemo falsarum rerum narratione imponere possit: item quàm lata sit & longa prouincia, vel Regnum, quas munitiones habeat, vbinam aditus pateat, quare subditi delectentur, quibus virijs laborent; quot flumina non vadosa, & alia huius generis. Quis enim dubitat eum, qui sic peregrinatus est, & in potentissimorum Principum aulis versatus, qui sæpe cum nobilissimis viris congressus est, propter ea quæ obseruauit in rebus agendis magis idoneum esse tenebricoso altero, qui domi clausus, quid apud exteras gentes fiat, ignorat. (*lib. 35.*) Notat Liuius Minionem Regis Antiochi intimum Consiliarium, qui omnium externorum ignarus Regi suo bellum aduersus Romanos suaserat, regno illi perniciè attulisse. De eloquentia ita sentio; cùm Deus hominum generi du-



as maximè peculiare dotes elargi-  
tus sit, in quarum inest altera intel-  
ligendi ac iudicandi vis, quam ratio-  
nem nominamus; in altera oratio-  
nis facultas, utramq; excolendam,  
parum inquam esse rectè sentire, &  
prudenter intelligere, si quæ rectè  
sentias & intelligas, politè eloqui  
non possis. Consiliarium itaq; elo-  
quentem esse oportet, & de rebus  
omnibus variè & eleganter dicere  
posse: quamvis enim in sententia di-  
cenda magnam non requiram elo-  
quentiã (nam eius munus præcipuū  
non est delectare & verborum le-  
nocinijs persuadere sed nudè sentē-  
tiam suam explicare) fieri tamen  
potest, ut quis ad alias Respub. mit-  
tatur ad suadendum, dissuadendū,  
laudandum, vituperandū, gratulan-  
dum, dolendūve: fieri etiã potest  
ut ei mādato Principis sui, siue apud  
Principes exteros, eorūve lega-  
tos,



tos, siue apud populum, vt ipsum forte à furore ad sanitatem perducat, loquendum sit: ibi orationem Consiliario sapientissimis sententijs grauissimisque verbis perpolitam deesse nolim, ita tamen vt scholam non redoleat, sed ad audientium aures adcommodata sit: non in speciem nimis elaborata, neque sententias & rationes nimis recõditis è locis erutas, aut nimis longè accersitas contineat. *Maximus studiorum fructus est veluti præmium quoddã amplissimũ longi laboris*, ait Quintilianus, (lib. 10. c. 7.) *ex tempore dicendi facultatem natũ esse.* quid enim ad alliciendas voluntates impellendõsque animos eloquentia utilius? Sed nec illis casibus multiloquam & vagam, sed breuem & argutam eloquentiam laudari. *Armatam plebem Romanam, quæ Regibus exactis nimia libertate secesserat à patribus,* pesti-



pestifera seditione diuisam & miser-  
 rimum Reip. statum P. Valerij bre-  
 uis oratio, in pristinum reduxit sta-  
 tum. & *verbis facundis*, ait Valerius  
 Max. l. 8. c. 19. Plut. de vir. illustr.  
 ira, consternatio, arma & Cic. in Bru-  
 cesserunt. Et notum to. Arist. 3.  
 est illud Menenij Rhet. 1. & 16.  
 Agrippæ, Popilij consulis & alio-  
 rum. Ceteroquin in sententia di-  
 cenda, nec proœmijs, nec epilogis  
 vtetur, vt tota dicentis industria in  
 rei ipsius substantia defigatur. Nihil  
 ante tam paruum, ait Plinius; (*in*  
*panegy.*) tam vulgare in senatu a-  
 gebatur, vt non laudibus Princi-  
 pum immorarentur, quibus cen-  
 sendi necessitas accidisset. At nunc  
 quis nostrum tanquam oblitus eius-  
 dem quo refertur censendi officii  
 um Principis honore consumit?  
 tuæ moderationis hæc laus, &c.  
 Senatori hæc iussa sunt, ait Tullius,  
 (*de legib.*) vt adsit: nam gravitatem



res habet, cum frequens est ordo: ut  
 loco dicat, id est rogatus, ut modo, ne  
 sit infinitus. Tres reperio dandi con-  
 filij modos, Ratione scilicet, aucto-  
 ritate & exemplo; (*Arist. lib. i.  
 Rhet. c. 2.*) quod si coniungantur,  
 magnam vim habeant necesse est.  
 Itaque si vel res propositæ, vel pri-  
 orum suffragia omnia, consiliario  
 minimè probanda sint, hæc nota-  
 bit, ut quæ dicturus est contra alio-  
 rum opinionem, id validis firmis-  
 que rationibus & verborum com-  
 pendio probandum sibi sciat, Et quo-  
 niam aliorum sententia diluenda e-  
 rit, pauci autem reperiantur, qui sua  
 improbari moderatè ferre soleant,  
 omni verborum ho- *(Gabr. Pale-*  
 nore, & mitissimo *or. de consult.*  
 dicendi genere ute- *sacri cons. 4.*  
 tur, contentiosasque *q. 12.*  
 omnes voces fugiet, atque eos lo-  
 quendi modos, quibus se plus ce-  
 teris vidisse significari posset, neque  
 tair



tanquam certum & exploratum id-  
 ipsum, de quo agitur, proponat. Ea  
 enim quæ consultantur contingen-  
 tia sunt, omnia, inquit Philosophus,  
 (L. 3. *Ethic.* 3) quæ veniunt in con-  
 sultationem, talia sunt, quæ aliter  
 accidere possunt: sufficiat consilia-  
 rio conscientiae suae satisfacisse.  
 Quod si res, quæ consultanda pro-  
 ponitur consiliario, clara videatur,  
 vel anteriorum suffragijs satis exa-  
 minata & probata, (*Palæot. d. c.*) res-  
 que celeritatem requirat, assensus  
 per verbum, *placet*, vel, *idem cen-  
 seo*, vel *assentior* fieri debet. Val-  
 de ineptum est ea repetere, quæ  
 iam in medium allata fuerunt,  
 (*Plutarch. de garrulis.*) aut nova  
 oratione actum agere, vel intem-  
 pestivis digressionibus audienti-  
 um aures plus æquo onerare.  
 Pericles antequam in publico  
 verba faceret, optare solitus est,  
 nec vllum sibi verbum à re alienum



incideret. Reperiuntur præterea nonnulli, qui nihil explicitè pronunciant, sed tectis, compositisque verbis responsionem concipiunt, ut ad utrâmq; partem adcommodari possit, more carminum sibyllinorum; idque faciunt, ne à maiorum gentium dijs dissentire videantur: (*Paleot. 5. q. 5.*) verùm quum conscientia eos in contrarium exstimulet, obscurè aliquid loquuntur: sed miseri non hisce nugis suspicionem euadunt, ne dicam culpam, quæ tantò grauior est, quantò dolus tentior putatur. Alij de industria sententiam suam sermonum tenebris inuoluunt, ut se admirabilia & paucis cognita enunciaſſe demonſtrent, aut affectata prudentiæ specie sua abdunt, ut nihil difficiliùs sit. Alij prolixitate sua se intricant & inuoluunt. Ab his & similibus censendi modis cauere sibi solet bonus consiliarius: quin apertè potiùs, candide



dè & breuiter sententiam suam pronun-  
ciat, ita vt oratio neque confun-  
dat celeritate, neque offendat  
tarditate. Et quandoquidem me-  
moria eloquentiæ thesaurus est, &  
necessarium maximè vitæ bonum,  
vt eam consiliarias à iuuentute ex-  
ercuerit, postulo. Pythagoreos le-  
gimus vegetandæ exercendæque  
memoriæ gratia, quod quòque die  
dixissent, audiuisent, egissent, ves-  
peri commemorare solitos: quem  
morem Ciceroni quoque probatum  
videmus. Eloquentiæ linguarum  
subiungo cognitionem, qua ornatus  
esse debet consiliarius, eorum præ-  
cipuè populorum, quibus Princeps  
eius aut imperat, aut amicis vel ho-  
stibus vtitur. Adfert hæc cognitio  
magnum vsum ad quaslibet res  
commodiùs tractandas. Qui inter-  
prete vti coguntur, quæ proferunt,  
nec tam grata, nec tam efficacia esse  
possunt: vix poteris per interpre-  
tem



tem affectus tam bene mouere: ut  
omittam, multa esse verba, multos  
dicendi modos, qui suas energieas  
& dicendi habent significationes,  
quæ alia lingua, ex tempore præci-  
puè, exprimi nequeunt: addo, quod  
qui vicaria alterius opera confi-  
dunt, sæpè decipiantur. (*Plutarch.*  
*in Cat.*) Cùm Censorius Cato pop.  
Romani nomine legationem apud  
Athenienses obiret, quia Græce  
tunc ipse nesciebat, ea quæ habe-  
bat in mandatis per interpretem ex-  
posuit. Ibi quod ea quæ paucissimis  
verbis Cato dixerat, interpres vix  
longis ambagibus referret: Athe-  
nenses orationum dissimilitudi-  
nem mirati, Romanis sermonem  
in pectore, Atheniensibus in ore na-  
sci dixerunt. Tantum enim à genui-  
na ipsius auctoris mente, cuiusuis  
interpretis orationem distare iu-  
dicarunt, quantum inter cor & la-  
bra est interstitium. Ideo Themis-  
tocles



stocles (*Plut. in apophth.*) vnus toti-  
 us Græciæ in rebus agendis acerri-  
 mus, atq; in consilio capiendò dan-  
 doque calidissimus, cum Athenis  
 profugus, ad Regem Persarum con-  
 celsisset, animi sui petitionem ex-  
 ponere noluit, priusquam Persicam  
 addicisset linguam, vt sine inter-  
 prete, quod plurimum referre ar-  
 bitratus est, cum Rege loqui pos-  
 set. & sanè si veredarij etiam, ta-  
 bellarij, nautæ, mercatores, & qui-  
 cumque ad faciendum quæstum di-  
 uersas gentes accedere solent, plu-  
 res ideo linguas addiscunt, vt suis  
 potiùs quàm alienis auribus ea ex-  
 cipiant, quæ petentibus responden-  
 tur; quantò magis magni principis  
 consiliarius in id sedulò eniti debe-  
 ret. (*Ant. Menapius & Guil. Post-  
 dereb. Turc.*) Turcæ licet barbarorū  
 ferocissimi, & à litteris maximè ali-  
 eni, cum re ipsa linguarum summā  
 videant vtilitatē, quot linguas quis  
 callet,



callet, totidem viris illum æquiva-  
 lere vulgato proverbio dicitant.  
 hæc fuit ratio, quare Carolus IV. Im-  
 perator bulla illa aurea quæ de Im-  
 peratorum electione agit, inter alia  
 hoc quóque præcipiat, ut Electo-  
 rum filij primis ab annis Latinam  
 Italicam & Illyricam addiscerent  
 linguam, ut sermonem cum multis  
 gentibus communicare possint. Po-  
 stemò, quia, ut rectè Cicero, om-  
 nia sub præsidio & tutela virtutis  
 bellicæ latent, & non tam cum ma-  
 gnis Regibus amicitia iunctæ, ne-  
 que fœdera cum gentibus finitimi-  
 sita, quàm rei bellicæ scientia &  
 armorum potentia, Reipub. (de offic.)  
 statum tutum & incolumem præ-  
 stant, rem etiam militarem didice-  
 rit consiliarius, requiro. Militiæ ge-  
 nera intelligat item ea, quæ ad pe-  
 ditum equitumque ordinem, dis-  
 positionem aciei & disciplinam spe-  
 ctant, cognoscat locorum, monti-  
 um



um, fluminum, vallium naturas, urbium situs & similia. quid crebrius in consistorio magnorum Principum quàm consultationes de bello, de exercitu, de castris, de signorum collationibus, de comœatu, de insidijs faciendis aut vitandis, de muniendis oppidis, de custodia artium, de prohibendis repentinis finitimorum hostium incursionibus, agrorum populationibus &c. Idem pauci olim in senatum recipiebantur, quorum virtus non esset domi militiæque cognita: nullis autem qui magistratus & honores in Rep. prius non gessisset, ut esset

*Pacisq; bonus bellique minister.*

M. Portio Catoni, de quo ante, nullam artem neque priuatæ, neque publicæ rei gerendæ defuisse scribit Liuius. (*lib. 39.*) *Urbanas rusticâsque res pariter callebat: ad summos honores alios scientia iuris, alios eloquentia, alios gloria militaris prouexit.*



xit. Huic versatile ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut natum ad id vnum diceres quodcumque ageret. In bello manu fortissimus, multisq; insignibus clarus pugnans: Idem posteaquam ad magnos honores peruenit summus Imperator, idem in pace, si ius consuleres, peritissimus: si causa oranda esset, eloquentissimus. Hisce praesidijs instructi honores petitori, inquit Plinius, (in. panegy.) adstebant curiae foribus & consilij publici spectatores, ante quam consortes erant. Quae potestas referentibus, quod censendum ius, quae libertas, vbi cedendum, vbi resistendum, quod silentij tempus, quis dicendi modus, quae distinctio pugnantium sententiarum omnem deniq; senatorium morem (quod fidelissimum percipiendi genus) exemplis docebantur. Ad officium consilij transeo; quod primo in eo consistit, ut Principem (H. Osor. de reg. disc. li. 8.) suum, & Remp. praecipue, sincero amore ac



pietate debita prosequatur. Parum fuerit acutè perspicere quæ faciendæ essent, ornatèque eloqui posse, si odium Reip. aut cupiditas nefaria tibi fuerit, quò minùs id quod sentis exprimas. Erat olim apud Athenienses lege sancitum, vt quoties aduocata concione, populus de Reipub. consultabat, præco maxima voce diram cladem & exitium illi & posteritati eius imprecaretur qui Reip. inutile consilium daret, ne ipse incommodum aliquod subiret. (Plut.) Erant autem illæ execrationes quæ caput ciuis perfidi deuouebant tam horrendis verbis scriptæ, vt maximum metum omnibus, qui illas audiebant, incuterent. Sapienter enim intellexit, qui legem illam tulit, nihil esse acuto ingenio sine fide, sine Reipublicæ studio, sine patriæ caritate, perniciosius. Exstat apud Herodotum Aristidis (in *Vrania*.) oratio. Certare, inquit, nos oportet, The-



Themistocles, non priuatis simul-  
 tatibus & odijs, sed vter nostrum  
 meliùs de patria mereri, & plura in  
 eam beneficia conferre possit. Ad-  
 mirabilis pietatis in Remp. constan-  
 tia fuit, quàm Q. Fabius Maximus  
 patriæ præstitit. Pecuniam (scribit  
 Valerius Max.) (lib. 3. c. 8.) pro  
 captiuis Annibali numerauit: ea frau-  
 datus publicè, tacuit. Dictatori ei se-  
 natus magistrum Equitum Minutium,  
 iure Imperij, aduersus leges equaue-  
 rat: silentium egit. Compluribus præ-  
 terea iniurijs lacesitus, in eodem a-  
 nimi habitu permansit; nec vnquam  
 sibi Reip. permisit irasci, tam perseue-  
 rans in amore fuit. O indefatigabi-  
 lem & sanctum amorem, quem vt  
 non fucate habeat consiliarius, de-  
 bet in limine consilij, odium in ad-  
 uersarios, gratiam aduersus amicos,  
 peruicaciam & arrogantiam ex se  
 ipso exsuere, & priuatos denique  
 omnes affectus deponere, atque ea  
 solum



solùm intueri, quæ ad Dei cultum  
& Reipub. commodum spectant.  
Omnes homines, ait prudenter Salu-  
stius (De bello Catil.) qui de rebus du-  
bijs consultant, ab odio, amicitia, ira,  
atque misericordia vacuos esse decet.  
hanc facile animus verum prouidet, v-  
bi ista officiant: neque quisquam omni-  
um libidini simul & vsui paruit. vbi in-  
tenderis ingenium valet: si libido pos-  
sedit, dominatur. Magna mihi copia  
est memorandi P. C. qui Reges aut po-  
puli, ira aut misericordia impulsî, malè  
consuluerint: sed ea malo dicere quæ  
maiores nostri contra libidinem animi  
sui fecerunt, & quæ sequuntur. & a-  
libi: Animus in consulendo liber sit, ne-  
que delicto, neq; libidini obnoxius. quî  
sic? quia qui vitijs scaret, fieri non  
potest, vt vitijs non faueat, ne illa  
iudicando seipsum condemnet. Su-  
spectis (inquit Tacitus, (lib. ann. 12,)  
præfetti consilijs, quòd pellicem regi-  
am polluerat, inq; libidinem omnem ve-

K

nalis



*nalis habebatur. Sit igitur Consilia-*  
*rius vir bonus, iustus & integer, cu-*  
*ius vita, ut ait Plinius (in Panegyri.)*  
*censura sit, eaque perpetua, ad qua-*  
*ceteri magistratus dirigantur, ad*  
*qua[m] ij conuertantur, quibus non tam*  
*imperio, quam exemplo opus est.*  
*Quis in caeno, ait D. Ambrosius (lib. 2.*  
*de offic.) fontem requirat? quis de tur-*  
*bida aqua potum petat? quis utilem ju-*  
*diciet causae alienae, quem videt inuti-*  
*lem vitae suae? quomodo enim eum potes-*  
*iudicare consilio superiorem, quem vi-*  
*deas moribus inferiorem? Exstat a-*  
*pud Agellium Aeschini oratio, qua*  
*Timarchum de impudicitia arguit.*  
*Quanam, inquit, Lacedaemonij ratio,*  
*aut quae tandem spes erit, urbem hanc,*  
*& hanc Rempub. saluam inexpugnabi-*  
*lemq[ue] diutius esse posse, si huiusmodi*  
*anteactae vitae hominibus Consiliarijs v-*  
*tamur? quod si proba isthaec & ho-*  
*nesta sententia est, quaeso vos, non sinamus*



*mus eandem debonestari auctoris contagio.*

Cum Spartæ, Demosthenes quidam, homo intemperans, sententiam commodam dixisset, eam populus reiecit. Ephori autem forte lecto cuidam senum eam dicendam dederunt, tanquam ex sordido vase in sincerum eam diffundentes, ut grata fieret multitudini. Tantum in utramque partem in Re- pub. habet persuasio de hominis ingenio concepta. Virtutes (ait Philosophus) & mores ad persuadendum faciunt. Fundamentum perpetuæ commendationis & famæ, est probitas, fides, iustitia, sine quibus nihil potest esse laudabile. Prudentia omnis sine his est vana & mendax & vasta quædam caliditas & versutia. Non igitur sit invidus, non obtrectator, nullius odium grauius concipiat, nulli



molestè nimis æmuletur, nullas in  
 inimicitias gerat, nullum maledi-  
 ctis, nullum contumelia, nullum  
 verbis vehementioribus, nec absen-  
 tem nec præsentem, prosequatur.  
 Reperiuntur in sententiis dicendis  
 nonnulli, (*Tacit. lib. 1. histor.*) qui  
*consilij, quamvis egregij, quod non ipse*  
*adferant inimici, quum id, quod di-*  
*cturi erant, videant ab ijs, qui prio-*  
*res dixerunt, quasi præoccupatum,*  
 eosque pudeat vel idem reperere,  
 vel palam in sententiam priorum  
 ire, cavillos excogitant, correcti-  
 unculas addunt, & nodum, quod  
 aiunt, in scirpo quærunt, aut præsti-  
 gijs sophisticis aliorum sententias  
 eludunt, & veritatem tenebris in-  
 voluunt, ne cuiquam succubuisse,  
 aut quicquam cuiquam concessisse  
 videantur. Hos obseruet Princeps:  
 viri enim boni non sunt: quorum  
 est, aliorum rectas sententias candi-  
 dè adprobare, licet ceteroqui au-  
 ctiores



ctores exosi sunt. *Fides summa*, ait de quodam Cicero, (*de clar. orat.*) & naturalis quaedam inerat auctoritas, ut non caussam, sed ut testimonium dicere putares, quod ad sententiam dicendam aptum maximè videbatur. Veritas inter alia Consiliario maximè amica esse debet, immò nihil pejus ijs Consiliarijs, qui eã principibus reticent: iuramento obstringuntur, se sententiam dicturos & consulturos ex animi sententia, quæ meliora & utiliora videbuntur, quod si veritatem taceant, nonne periuri sunt? At veritas odium parit, quid tum? qui tale metuit odium, non dignus est nomine Cõsiliarij (*Senec.*) Odium qui nimium timet, regnare nescit. Possumus interdum Principibus applaudere, possumus etiam illorum incommoda, & contumelias nonnullas & ineptias, non modò perferre, sed amanter etiam tegere:



192 DE CONCILIIS  
at in consilijs & negotijs publicis  
veritas nunquam reticenda

Ps. Veritas simplex quibus est amor,

10. Hos amo, amplector, video libenter.

His mihi seros socijs senectus

Impleat annos.

Cuius rei inopia, (quærit Seneca)  
(Epist) laborant magna fastigia? quid  
omnia possidentibus deest? ille qui ve-  
rum dicat. & Plinius: (in panegy.)  
Vidimus (ait) curiam elinguem, in qua  
dicere quod velles periculosum; quod  
nolles, miserum est. & alibi: quis antea  
loqui, quis hiscere audebat, præter mi-  
seros illos, qui primi interrogabantur?  
cæteri quidem defixi & attoniti ipsam  
illam mutam ac sedentariam assentien-  
di necessitatem, quo cum animi dolore  
perpetiebantur, vnus solus censebant,  
quod sequerentur omnes. & alibi lau-  
dat Traianum, quòd eo rogante  
sententias liberè dicere liceret, vin-  
ceretque sententia non prima, sed  
melior.



melior. Notanda illa apud Tacitum verba: *Per idem tempus L. Piso Pontifex, rarum in tanta claritudine, fato obiit: nullius servilis sententiæ sponte auctor, & quoties necessitas ingrueret, sapiens. (lib. 1. annal.)* ter moderans. & illa de Cn. Pisone: *Manebant etiam tum vestigia morientis libertatis: igitur Cn. Piso, quo, inquit, loco censebis, nam si primus habeo quod sequar, si post omnes vereor ne imprudens dissentiam.* Octavio Aug. ob immodicas altercationes disceptantium, ali- *Suet. cap. 54.* quando è curia per iram se proripienti, quidam ingesserunt, licere oportere senatoribus de Repub. loqui. Eidemque Antistius Labeo in senatu aliquando dixit, suum quemque iudicium habere. Et notum est illud Prisci Heluidij (*Arrian. in epist. etet. 1. l. 1. c. 2*) ad quem cum Vespasianus misisset, ne in senatū veniret:



Penes te, inquit, est, ne me senato-  
 rem esse patiaris. quàm diu autem  
 me loco non moues, est in curiam  
 mihi veniendum. Age, at ingressus  
 taceto, inquit. Ne me roga, & tace-  
 bo. At est mihi rogandum: & mihi  
 dicendum, quod rectum putauero.  
 Verum si dixeris, occidam te. Quã-  
 do ego tibi dixi, me immortalem  
 esse? tu tuum facies, ego meum.  
 tuum est occidere, meum mori non  
 rementem. Quid prodest, rerum  
 cognitione, earumque usu excelle-  
 re, tum salutaria studia, accensum-  
 que bene operandi affectum intus  
 enutrire, si, cum tempus illius de-  
 promendi venit, ani- *Paleot. in cõ*  
 mi deficit alacritas: *cl. memb. 4.*  
 & trepidatio aut suspicio, seu aliud  
 quoduis obsistit impedimentum,  
 quò minùs apertè sincerèq; id pro-  
 fiteatur, quod mente iam concepe-  
 rat. Adde quòd eiusmodi adulato-  
 res



res sæpissimè ipsi etiam Principibus fastidium pariant. (*Tacit. l. 3. an.*)

Memoriæ proditur, Tiberiū quoties curia egrederetur, Græcè in hunc modum eloqui solitum: O homines ad servitutem paratos: scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam proiectæ servientium patientiæ tædebat.

Quòd si quis tamen timidiorerariatur animo, is à principe erigendus. Solent boni Principes cùm rem proponunt, alacritatem Consiliarijs ad dicendum iniicere, atque hoc testari, se id tantùm quærere quod publicæ seruiat utili- *Paleot. p. 5.*  
tati: cùm verò sen- *q. 7.*

tentiam audiunt, attentis auribus vultuque benigno, etiam postremos & infirmiores, audire: quis enim dubitat libertatem consulentium impediri, dum liberè ipsis loquentibus Princeps irascatur, & libentiùs se audire ostendat, quæ placent quàm quæ profint. *Desperata*



eius Principis salus est, cuius aures  
 ita formatae, ut aspera quae utilia, nec  
 quicquam nisi iucundum accipiat. Cum  
 de frumento ex Sicilia Romam ad-  
 uecto in senatu aliquando ageretur,  
 an gratis, vili aut magno pretio ple-  
 bi diuenderetur: inter alios M. Cor-  
 riolanus exstitit, qui aduersus ple-  
 bem grauem diceret sententiam:  
 Nihil per largitionem populo tri-  
 buendum. his arti- *Dionys. Halic.*  
 bus petulantio- *carn. lib. 7. Li-*  
 ac lasciuio- *nius lib. 2.*  
 ci. satius hunc esse *Plin. de vit.*  
 vel cariore amona *illustr.*  
 domari ac reprimi, quod fieret mo-  
 destior ex necessitate, & ad ciuilia  
 munera obeunda paratior: agros  
 hac iniuria non seditioes colat de-  
 sideria, otio ac luxuria maximè, quae  
 ex copia & inerti abundantia nasci-  
 tur, iura, leges, instituta negligi.  
 Patricia & aristocratica sententia:  
 sed parum popularis. Ideo Tribuni  
 plebis



plebis, qui in senatu eā audiuerant, ad populum referunt, à quo sine mora dies Coriolano dicitur. Verum quantum ad hanc accusationem attinet, licet populo infenso videretur, eam facillimè diluit. Agnovit plebs, Coriolanum nihil præter officium fecisse. vbi enim loquendi vlla licentia, si non in deliberando & dando consilio? Nemo igitur consilij sui post senatum rationem reddere cogebatur. Rectè; etsi enim aliud consilium alio melius interdum sit, omnium tamen Consiliariorum eadem mens præsumitur, vt pro salute Reipublicæ dicant: quemadmodum in navi, alij sæpe velificatione, alij remigatione vtendum censent, sed omnium idem scopus. Fuit nihilominus Coriolanus postmodum, sed alijs de causis, quòd à tribuno vocatus venire reculasset, hactores pulsasset, cõ-



demnatus. Cùm itaq; Princeps ) vt  
 vnde digressi sumus, *Agel. lib. 14.*  
 reuertamur ) vultu i- *c. 10.*

pfo iracundiam, aut seueritatem a-  
 cerbam ostendit: non dubium est  
 Consiliariorum animos magna ex  
 parte debilitari & frangi. pauci ad  
 modum reperiuntur, qui, cùm se  
 Principē ægrè audi- *Plut. de disc.*  
 re intelligant, liben- *amici & ad-*  
 ter loquantur. Pati- *ult.*

enter igitur Princeps sententiam,  
 quamuis liberam, audiet, neminem  
 interrumpet, memor, ius olim sena-  
 tori apud Romanos fuisse, quàm diu  
 vellet orationem trahere, adeò vt  
 nonnullos horis septem, alios ve-  
 rò dies totos concionem in senatu  
 habuisse tradant. *Fi. Alex. ab Alc.*

nemque sermonis, *suus lib. 4. c. 11.*  
 cuique pudor, non tua superbia facit,  
 ait ad Traianum Plinius. Philippi-  
 dem Atheniensem comicum sum-  
 ma



ma beneuolentia complexus est  
 Lyfimachus Rex, (*Plutarch. in De-*  
*nulla alia de causa, metr.*

nisi quòd liberè loqueretur & ex a-  
 nimi sententia, procùlque ab adula-  
 tione vitam probam & modestam  
 ageret. Dicere solebat Hiero, Gele-

onis in tyrannide successor, (*Plut.*  
*in apoph.*) neminem qui liberè lo-  
 queretur sibi importunum esse. Mo-

derationis tantæ fuit Alexander Se-  
 uerus, (*Æl. Lampridius in Alex.*) vt  
 non solùm nemo vnquam ab eius

latere submoueretur, omnibùsque  
 se blandum affabilèmq; præberet,  
 sed etiam vt sibi ab omnibus, quæ

sentiebant liberè dici cuperet, &  
 quod dictum esset, audiret, & quum  
 audisset, ita vti res poscebat, emen-

daret: si miuùs benefactum esset  
 aliquid, etiam ipse conuinceret,  
 idque sine fastu & sine amaritu-  
 dine animi.

Cùm Tacito igitur  
 K. 7 . . . confi-



consiliarium moneo: (lib. 1. histor.  
 ne cum fortuna poti- Tacit. lib. 1.  
 us sui Principis lo- annal.  
 quatur quam cum ipso. Interrogatus à  
 Tiberio Messala Valerius, num se man-  
 dante sententiam suam promississet, spon-  
 te dixisse respondit, neque in us, que ad  
 Remp. pervinerent, consilio, nisi suo, ve-  
 surus.

Seneca. — iusta, qui reges timet,  
 Deponat, omne pellat ex animo decus;  
 Malus est minister regij Imperij pudor.  
 Principem verò, ne (Tacit. lib. 2.  
 ijs fidat, quibus o. annal.  
 omnia Principum honesta atque inho-  
 nesta laudare mos est. Duo hic extre-  
 ma consiliario vitanda: alterum, ne  
 loquendi libertatem cum audacia  
 & immodestia confundat, & inani  
 iactatione libertatis, famam fatum-  
 que prouocet: quod fit quando quis  
 in propria obstinatus sententia, non  
 veretur specie utilitatis & veritatis,  
 verborum aculeis alios mordere,  
 cimi-



crimina detegere, maledictis famam  
 proscindere: quæ petulantia potius  
 & scurrilitas quam loquendi liber-  
 tas vocanda est. nam vera libertas  
 bonum tantum publicum respicit,  
 Falso libertatis vocabulum obtenditur,  
 ait Tacitus, (lib. 16. annal.) ab ijs  
 qui privatim degeneres, in publicum  
 exitiosi, nihil spei nisi per discordias  
 habent. Qui hac libertate uti vult,  
 ut monet Quintilianus, (lib. 11.  
 c. 1. debet rei, loci, tempo-  
 ris & personarum rationem habere,  
 ut & sui ipsius. Maior libertas, diu  
 in senatu aliquo versatum decet,  
 quam recens admissum. Modi tem-  
 ne clamore, vel alio corporis habi-  
 tu, iræ vel alterius perturbationis  
 suspicionem moueat, & nihil arro-  
 ganter, nihil proteruè, nihilque ad  
 ostentationem proferat: neque acer-  
 bis facetijs delectetur, (Tac. l. an. 5.)  
 quin potius illius memi-  
 nerit, acerbis facetiarum apud



præpotentes in longum memoriam  
 esse. Alterum extremum est, cum  
 quis sub libertatis specie assentatur  
*Adulationi fœdū cri-* ( Tacit. lib. 1.  
*men seruitutis, mali-* histor.  
*gnitati falsa species libertatis* inest.  
 Exemplum istius adulationis apud  
 Plutarchum exstat: ( de discr. amici.  
 & adul. ) Audi, Cæsar Tiberi, in quo te  
 reprehendimus omnes, licet nullus au-  
 deat palam facere, impendis te ipsum  
 nobis, corpus tuum diurnis nocturnis-  
 que laboribus & curis pro Repub. con-  
 ficit. istud æquè detestandum, sed  
 priore extremo magis noxium. ( l.  
 Et quandoquidem quod autem. §  
 non dormientibus, apud Labeo-  
 sed vigilantibus & nem. l. pupil-  
 laborantibus pru- lis. ff. quam in  
 dentia infundi solet, fraud. max.  
 consiliarium conue- cred.  
 nit, in consilio quidem attentissi-  
 mis auribus omnia, quæ quisque lo-  
 co suo dicit, & quibus argumentis  
 ea



ea corroboret, excipere, ne in respondendo vel minimum aberret; qua in re quantum sicut sit, ostendere volens Lycurgus, (*Plut. in vita Lyc.*) ne ullæ picturæ in locis, ad consilia destinatis, haberentur, constituit, ne scilicet consiliariorum cogitationes distraherentur, sed totæ in rebus deliberandis defigerentur. Extra consilium autem diligentissimus erit meditando etiam, legendo, differendo, finem cuiuslibet rei considerando, sed & singulares rerum circumstantias & contingentia varia in humanis actionibus perpendendo: quæ practica cognitio est, quia ipso perficitur actu. atque hæc rebus administrandis, populorumque gubernationi maximè prodesse solet. (*Plutarch. in moral.*) Curiositas hominum ex omni genere signa collegit instantis tempestatis. at multò magis conveniebat consiliario, hac vti diligentia in consulta



fultationibus, vt obseruatis experi-  
 mentis conijciat, quid malorum ex  
 vnoquoque perperam constituto  
 consequatur, & quænam causæ im-  
 pedimentorum, vt oculi ijs rebus,  
 quæ prouideri queunt, adiiciantur.  
 Et quandoquidem incommoda  
 multa, ex ignorantia eius Reipub.  
 cui inseruit consiliarius, quàmque  
 curandam suscepit, nascuntur, o-  
 mnia illius Reip. etiam minima sci-  
 re tenetur; plurimum igitur studij  
 & diligentiaè poneret ad ea omnia co-  
 gnoscenda, quæ ad principatum, in  
 quo est, spectare videntur, confide-  
 ret ipsius naturam, populi subditi,  
 & vicinorum; alia veterem & fir-  
 matum, qui inuidiaè & seditioni mi-  
 nus expositus est, decent; alia Prin-  
 cipatum nouum; alia vi quæsitum,  
 vel successione vel electione.

*Metiri sua regna decet, viresque fa-  
 teri.*

Rectè Seneca: (de tranquill. vita)  
 Multi



Multi dum se tam magnos quàm audiunt, credunt, attraxere superuacua, & in discrimen rerum omnium peruentura bella. Principē etiam, & aulam cognoscet, ex omni parte, vt & cæterorum administrorum & consiliariorum naturam, mores, omnem denique administrationem, quæ, quantaque sit omnis ditio Principis, quæ prouinciæ, ciuitates, oppida, loca, illi ditioni subiecta sint, prouinciæ verò ipsæ quot millia passuum habeant in longitudine, quot in circuitu. Locorum, inquam, ambitum, situm etiam: vtrum montibus, mari, flumine, vallo, fossa, lacu munita sint, quæ eorum opportunitates, & an com meatu prohiberi possint, an sit vbertas vel inopia rei frumentariæ. Quidnam in Principatu controuersum, & cum quibus, quibus de causis, quæ ratio

*Aristot. lib. 1.  
Rhetor. c. de  
rebus, de quibus  
consilium  
agitur.*





ratio prouinciæ administrandæ, quibus rebus delectentur ciues, quibus se sustentent, quomodo erga Principem affecti; quòdnam vectigal eorum, quæ euehuntur & inuehuntur: portoria vocabant veteres, ex pascuis agrorum publicorum, ex sale, vino, oleo, frumento, ex mercatura, ex subditorum tributis: hæc enim ossa sunt & nerui Principis, quòdnam ærarium, an subditi nimis tributis, vectigalibus, alijsve oneribus premantur, an mercaturæ studio teneantur, an opibus abundent: quantus militum numerus in qualibet prouincia conscribi possit: quænam Principis familiæ origo, quæ coniunctiones, affinitates, & amicitia, quæ fœdera, & quid ex ijs sperandum, quorùmnam partes Princeps defendendas susceperit. Et ad summam; in omnia, etiam minutissima, quæ neglecta Reip. detrimento esse possunt, omne studium, curam,



curam, cogitationem & solertiam  
 conferet. *Qui vulgi naturam nouerant,*  
 ait Tacitus, (*lib. 2. histor.*) & quibus  
 modis temperanter haberetur, sena-  
 tusq; & optimatum ingenia perdidit  
 cerant, callidi temporum & sapientes  
 credebantur. Verum quid fieri oportet  
 at in vniversum, monet prudentissi-  
 mus vir, (*Epist. 22.*) aut quemadmo-  
 dum; ex longinquo nemo suadebit.  
 Cum rebus ipsis deliberandum. *vigi-*  
*lantis est captare properantem occasio-*  
*nem.* Morus nouissima omnium ar-  
 borum germinat, & tamen parit in-  
 ter primas: ita qui tempus idoneum  
 rei conficiundæ opperiantur, (*lib.*  
*15. c. 24.*) etiamsi seriùs ceperint,  
 maturius tamen conficiunt. Quare  
 plerosque magnorum virorum vi-  
 demus, occasione prudenter capta,  
 ad eam peruenisse magnitudi-  
 nem. Consuerant Pontifices Roma-  
 ni, si quid mali ab externo hoste im-  
 mineret, opem Constantinopolita-  
 norum



norum Imperatorum implorare, ob  
 quorum negligentiam quam vrbs  
 & Italia tota deuastaretur. (P. *Æmyl.*  
*l. 2.*) Carolus Magnus à Leone III.  
 Pontif. (vt nonnullis placet) voca-  
 tus, occasione illa prudenter suorum  
 consilio captata, Ecclesiæ Romanæ  
 patrocínio in se suscepto, imperium  
 simul in se, posterósq; suos trans-  
 tulit. Pari ratione excitante Roma-  
 no Pontifice Gallos ad bellum Ne-  
 apolitanum, Carolus Andegauensis  
 occasione non neglecta, *Ion. l. 1.*  
 Siculo etiam, non solùm *hist.*  
 Neapolitano regno positus est. Al-  
 phonsus Arragonum Rex à Iohan-  
 na R. Neapolim vocatus, tam ido-  
 neam occasionem non contempnen-  
 dam ratus, regnum illud, magno  
 Neapolitanorum applausu, Pontif.  
 ficéque consentiente, adeptus est.  
 Possent innumera a- *Pand. Collen.*  
 lia exempla adduci, *lib. 6.*  
 sed hæc sufficiant ad consiliarij dili-  
 genti-



gentiam in captandis occasionibus excitandam, vbi magna prudentia opus est. Quæri hoc in loco potest, num consiliarius tam diligens esse debeat, vt etiam non requisitus, Principi, vbi res postulat, consilium subministrare teneatur? Dubium mouet mos inueteratus postulandi consilium: & quod is, qui consilio dando se ingerit, curiosus videatur, quin etiam suam censeatur prudentiam maioris facere quàm Principis & aliorum consiliariorum. Vt igitur non est boni medici, se, cùm vocatus non est, intrudere ad ægrotū: sic nec consiliarij ad Principem. Verùm hisce non obstantibus existimant doctiores, in rebus magni momenti, postulante necessitate, eum quod sibi videatur, etiam non rogatum, Principi ob bonum publicū denunciare debere: atq; id à Romanis etiam senatoribus obseruatum fuisse, vt



vt necessitate urgente vltro postu-  
 larent, vt sibi de Rep. dicere liceret,  
 non dubium est. *A maioribus, ait*  
*Tacitus, (lib. 2. annal.) concessum*  
*egredi aliquando relationem, & quod*  
*in commune conduceret, loco sententiae*  
*promere. & alio quodam in loco;*  
*(lib. 13. annal.) licebat patribus, quo-*  
*ties ius dicendae sententiae accepissent,*  
*quae vellent expromere, relationemq;*  
*in ea postulare. Vnde Cato (Plutarch.*  
*in Cat.) etiam cum de alijs rebus*  
*consuleretur omni senatu censere*  
*se dicebat delendam esse Carthagi-*  
*nem, Consurgit Scaptius (apud Li-*  
*uium) & si licet, inquit, consules de*  
*Rep. dicere, vt alia omittam loca,*  
*quae tamen tum demum recte fieri*  
*existimo, si consiliarius prius dili-*  
*gentissimè & diu multumque se-*  
*cum rem proponendam examina-*  
*rit, ne fallatur, quod ridiculum es-*  
*set; deinde etiam omnes circum-*  
*stantias, An antea simili de causa*  
*cum*



cum Principe loquutus sit, an tempus, locus & rerum status id requirant, an res oppor. *Paleot. 1. q. 6.*

*sub finem.*

an ipsemet Consiliarius Principi gratus & acceptus sit; An per alium id commodius fieri posse existimet: an alij tale quid tentarint, & quo successu. Ad obiectiones autem dupliciter respondetur, primo non esse curiositatem, sed vigilantiam, si quis debita moderatione ea inuestiget & proponat, quæ sui officij sunt. Deinde quamuis Princeps à Consiliario consilium non petat, id tamen Remp. facere, quæ necessitate vrgetur, & eo ipso satis interpellat, subsidiūque Principis loco postulat. Altera quæstio hinc tractari potest: Si Consiliarius in Consistorio consiliū aliquod tractatum iri sciat, cui salua cōscientia assentiri nequit, an si eo die domi se contineat, officium suum minus

L dili,



diligenter & fideliter fecisse dici  
 possit. Dubitandi causa est, quia tu- *Felin. ad. quod*  
 tius est in senatum *super de maior.*  
 non venire, quàm in aliam trahi *& obedientia.*  
 sententiam, & aduersus conscien-  
 tiam agere: adde quòd is culpa car-  
 rere videtur omni, qui in tam ini-  
 quam rem non consensit. Sed con-  
 trarium ex superioris quæstionis  
 decisione elucet; nam si & non ro-  
 gatus, publici boni causa, consili-  
 um dare Principi meo teneor, mul-  
 tò minùs salua fide effugere occa-  
 sionē potero ne roger, Tantum igitur  
 abest, vt hæc sit *(Paleot. 5. 9. 8.)*  
 legitima absentia causa, vt Consi-  
 liarium contra eò magis vrgere de-  
 beret senatum eo die adeundi. Oc-  
 casio enim rerum grauiorum veros  
 à cæteris distinguit Consiliarijs, illi  
 enim, quò periculosiora instant ne-  
 gotia, eò magis se ad ea, & iuuandã  
 Remp. accingunt; hi vrgentibus  
 vel



vel minimis difficultatibus, libenter se ab eis subducunt. *Cicero lib. 3. de legibus.*

est: SENATORI QUI NEC AD-  
ERIT, AUT CAUSSA, AUT  
CVLPA ESTO. De Catone præ-  
dicat Plutarchus, (*in eius vita.*) eū  
in senatū, quoties haberetur, sem-  
per venisse. Verebatur enim, ne quid  
se absente per gratiam fieret. *Boni  
senatoris est, ait Cicero, (pro domo.)  
semper in senatum venire.* Essetne  
quæso militis nomine dignus is, qui  
in certamen descendere iussus, id  
ob euidens periculum detrectaret  
& fugeret? *Fugit, ait vir sanctus,  
(D. Gregorius hom. 14. in Euang.)  
non tantum qui mutat locum, sed &  
qui subtrahit solatium: fugit, qui se  
sub silentio abscondit: fugit, qui tacet  
cum resistere deberet.* Nec Consilia-  
rium moueat, quò se in sententia  
propria solum futurum, ac se pro-  
inde frustra in senatum ventu-



turum existimet. nam vt omittam,  
 hanc absentiae non esse legitimam  
 causam, quoties quæso factum vi-  
 demus, vt vnus cæteros omnes à se  
 prius dissentientes, argumentorum  
 vi ad se traxerit, sed demus non fie-  
 ri, at sanè hoc sufficiet, officio sa-  
 tisfecisse, vt liber sit & sibi probatus;  
 ait Tacitus. (*Annal. lib. 4*) Ex his  
 dilucidè apparet, quid ei quæstioni  
 respondendum sit. Si Consiliarius  
 priorem sententiam non probet,  
 an (quia puta offensionem metuit)  
 tacendo & capite annuendo muneri  
 suo satisfaciat. Quamuis enim dici  
 soleat, eum, qui tacet in rebus, quæ  
 noxiæ esse possunt, non haberi pro  
 consentiente: id ta- *Grimald. l. 1.*  
 men hoc in loco nõ *Robbus.*  
 obtinet, vbi manifestè annuere eum  
 apparet, alioqui clarè dissentiret,  
 & dissensus sui causam adduceret,  
 quinimò dicendum, eum dupliciter  
 peccare, assurgendo vel annuendo,  
 &



ET CONSILIAR. 25

& sic consentiendo; & tacendo, quando maximè loquendi tempus fuerat. *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.* *Iac. 4.*

Pergo ad reliqua, quæ Consiliarij officium respiciunt, vt scilicet occultas & sibi concreditas res nullo modo diuulget. nam si, qui amici consilium de priuata re aperit, omnium odio meritò dignus habetur, quo odio dicemus illum dignum, qui Principis sui consilium de Reipub. salute, de propria dignitate, de publico officio, contra tam sanctè datam fidem, magno magistratum contemptu & damno euulgat? ideo consilium veteres à silendo dictum putauerunt, quo maximè inuenitur, ait Festus, & senatus cōsultra illa tacita vocabant. Lex Ægyptiorum iubebat abscindi illi linguam.

*Cap. in Gordiana. Festus in V. consiliū Diodor. Siculus. l. 38. § transfuga. ff. de pœnis.*



## DE CONCILIIS

guam, qui arcana Reipub. quæ te-  
 sta esse debebant, detexisset. Iuris-  
 consulti consiliorum publicorum  
 enunciatores, ut transfugas viuos  
 exuri, & furcis suspendi debere  
 statuerunt. Dixi arcana, nam mul-  
 ta in senatibus tractari solent, quæ  
 arcana non sunt, & à Consiliarijs  
 prudenter narrari possunt: talia sunt  
 ea, quæ morum reformationem,  
 religionis ampliandæ studium, &  
 Principis vigilantiam in genere re-  
 stantur, & ex quorum relatione ne-  
 que scandalum vllum timendum,  
 neque damnum. Catoni insigne il-  
 lud reddidit Tullius, eum nullum  
 vnquam verbum emisisse, quod e-  
 missum doleret. Q Fabium Maxi-  
 mum à consulibus grauissimis ver-  
 bis obiurgatum legimus, sed ipsa  
 Valerij Maximi ele- lib. 2. c. 1.  
 gantissima verba referam: Adeo ma-  
 gna patriæ caritate tenebantur (inquit)  
 ut arcana patrum conscriptorum mul-  
 tis



tie seculis nemo Senator enunciavit.  
 Q. Fabius Max. tantummodò per im-  
 prudentiam de tertio bello Punico in-  
 dicendo, quod secreto in curia actum  
 erat, P. Crassus petens domum rever-  
 tenti, in itinere narravit; memor eum  
 ante triennium quaestorem factum, i-  
 gnoransque nondum à Censoribus in  
 senatum lectum, quo vno modo etiam  
 ijs, qui honores gesserant, aditus in curi-  
 am dabatur: sed quamvis honestus fe-  
 ret error, vehementer tamen à Coss. ob-  
 iurgatus est. Nunquam enim taciturni-  
 tatem, optimum ac tutissimum admi-  
 nistrandarum rerum vinculum, labefa-  
 ctari volebant. Pom. Val. Max. lib. 3.  
 peij probabilis vir. c. 3.  
 tus, qui dum legationis officio fun-  
 geretur, à Gentio Rege interceptus,  
 cum senatus consilia prodere jube-  
 retur, ardenti lucernæ digitum cre-  
 mandum præbuit, eaque constan-  
 tia regi simul & desperationem tor-  
 mentis quicquã ex se cognoscendi



excussit & expetendi. Apparet ex  
 postremo hoc exemplo, Consilia-  
 rium animo etiam magno & forti  
 præditum esse debere, ne in consi-  
 lio dando vel reticendo, Principis  
 aut aliorum pertimescat offensio-  
 nem, qui paruo animo est, timet;  
 qui verò timet, aut laborem fugit,  
 aut vitæ pericula *Ofor. de reg.*  
 formidat, aut pecu- *inst. lib. 8.*  
 niæ sumtus extimescit: quibus re-  
 bus in Repub. nihil perniciosius. Qui  
 laborem fugit, nihil expedit, pro-  
 crastinat negotia, aut ea perditis  
 fortè hominibus administranda re-  
 linquit, & negotia negotijs accu-  
 mulat. qui pericula formidat belli,  
 vel alia, is hostium vires & auda-  
 ciam confirmat, is nunquam sua  
 debet, vt milites ad tutelam patriæ  
 accipiantur, vt illata contumelia  
 vindicetur, vt vis vi cohibeatur.  
 huic deniq; metus rectum sanumq;  
 consilium ademit, & veritatem sæ-  
 pe



pe occultare cogi- *Tacitus lib. 3.*  
 tur. *Pavidis* (ait il- *annal.*  
 le) *consilia in incerto.* Ideo Deus vo-  
 lens Remp. perdere Israëlitarum,  
 ipsis non tantùm reges pueros, sed  
 etiam effœminatos Consiliarios mi-  
 natur. Metellus cùm animaduer-  
 teret, quò tenderent conatus Tri-  
 bunorum plebis, quantòque malo  
 Reip. si non occurreretur illis, eru-  
 pturi essent, in exilium ire maluit  
 quàm in eorum leges. *Potèstne*, sub-  
 iungit Val. Max. (*lib. 8. c. 8*) hoc viro  
 aliquis dici constantior? qui ne senten-  
 tia sua pelleretur, patria, in qua sum-  
 mum dignitatis gradum obtinebat, care-  
 re sustinuit. Sylla occupata vrbe se-  
 natum armatus coëgerat, ac sum-  
 ma ferebatur cupiditate, vt Marius  
 hostis iudicaretur: cuius voluntati  
 nullis obuiam ire audentibus, solus  
 Scæuola interrogatus sententiam  
 hac de re dicere noluit, quin etiam  
 truculentius sibi minitanti Syllæ;



Licet, inquit, mihi agmina militum,  
 quibus curiam circumfediſti, oſtentes,  
 licet mortem identidem miniteris, nun-  
 quam tamen efficies, vt propter exiguum  
 ſenilemque ſanguinem meum, Ma-  
 rium, à quo vrbs & Italia conſeruata  
 eſt, hoſtem iudicem. Non eſt vir for-  
 tis, cui non creſcit animus in ipſa  
 difficultate.

Mich. Nam fortes animi proſus nihil

Hospī. iſta morantur

adFrāc. Quæ ſunt fluxa, caduntque citò

Oliuas & mutantur in horas;

rium. Non illos aurum, non ſpes, non  
 gratia fleſcit,

Non metus. erecta circum fora  
 fronte vagantur.

Introeunt aulas venerandi Re-  
 gibus ipſis.

Hæc ita intelligenda, quod & paulò  
 antè attigi, vt nihilominus reueren-  
 tiæ Principibus debitæ non obliui-  
 ſcamur. Cautè igitur & circumſpe-  
 cte fortem & intrepidum eſſe oportet,



tet, ne fortitudo in neruum erum-  
 pat. Non sunt contraria, summa re-  
 uerentia & obseruantia Principem  
 suum colere, & nullo metu ab offi-  
 cio discedere. *Quisquis metu alicuius*  
*potestatis, ait D. Augustinus (Epist. 86.*  
*ad Casul.) veritatem occultat, iram*  
*Dei super se prouocat, quia magis ti-*  
*met homines, quam creatorem. Porro*  
 quæ de fortitudine & constantia  
 diximus, non ita intelligenda, vt  
 sententiam Consiliario mutare non  
 liceat. Demens enim est, qui in er-  
 rore perstat, ex caussa igitur super-  
 ueniente, mutare consiliũ prudentis  
 est: præstat mutare in melius, quàm  
 in malè ceptis pergere, sed nec pro-  
 positum infringere eũ iudicant ca-  
 nones, qui in meli- *Cap. 3. de iu-*  
 us commutat. it qui- *reuer.*  
 dem alio gradu, sed nõ alia via. Me-  
 dicus quidã ægro medicamentũ da-  
 re iusserat, id congruens ratus, sed re-  
 maturiùs deliberata, noxiũ reperit.



Dicemusne hic Medicum sententiam priorem mutare non debere? Nequaquam. Eadem est Consiliarij ratio, qui consilium utilitatis publicæ causa mutare tenentur. Nec est quod leuitatis notam timeat. Nemo enim doctus (ait Cicerio) mutationem consilij inconstantiam dixerit. & alibi, Nunquam prestantibus in Repub. gubernandi viris, laudata est in vna sententia perpetua permansio. Quemadmodum enim in nauigando tempestati obsequi artis est. etiam si portum tenere nequeas: cum verò id possis mutata velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum, quem ceperis. potius quam eo mutato, quò velis tandè peruenire: Sic omnibus in administranda Rep. idem propositum esse debet, non idem semper dicere,

*l. nonnunquam.  
ff. de coll. bonorum. l. 1.  
officiorum. l. 1.  
epist. pen.*



dicere, sed idē semper facere. (Paleot. pag. 8. q. 6.) Verūm demus, in consilij mutatione inconstantiam aliquam subesse, nōne consiliarius, qui suo honori Reip. salutem anteferet eò magis laudandus? notum est illud de Fabio: Non ponebat enim rumores ante salutem. De hoc satis ferè diximus. Ad munus etiam consiliarij spectat, avaritiam fugere, & beneficentiæ studere. (Plut. lib. 4. q. conuival.) Hinc Polybius Africa- num suum crebrò monebat, ne prius è foro domum reuenteretur, quàm beneficijs aliquem, vel ex ijs qui occurrissent, sibi deuinxisset. Sicut radix omnium malorum est cupiditas habendi: ita radix omnium bonorum est charitas & beneficentia. De avaritia senatorum audiamus Salustium, Multò maximum bonum patriæ, civibus, tibi, libe-

7 libe.



liberis, postremò humanae genti pepe-  
 reris, si studium pecuniae aut sustuleris,  
 aut quoad res feret, minueris, aliter neq[ue]  
 priuata res, neq[ue] publica, neque domi-  
 neque militia regi potest. Nam ubi cu-  
 pido diuitiarum inuasit, neque discipli-  
 na, neq[ue] artes bonae, neque ingenium ut-  
 lum satis pollet, quin animus magis aut  
 minus maturè, postremò tamen suc-  
 cumbit. & paulò infrà: Caterum au-  
 uaritia bellua fera, immanis, intole-  
 randa est: quò intendit, oppida, a-  
 gros, fana atque domos vastat: diuina  
 cum humanis permiscet, neque exer-  
 citus neque mœnia obstant, quò minus  
 vi sua penetret: fama, pudicitia, libe-  
 ris, patria atq[ue] parentibus cunctos mor-  
 tales spoliat. M. Crassum, quinque eaq[ue]  
 que maxima habuisse scribunt, quòd  
 esset nobilissimus, quòd eloquen-  
 tissimus, quòd jurisconsultissimus,  
 quòd Pontifex maximus, quòd di-  
 tissimus Quiritum post Syllam. At  
 omnes has virtutes & fortunæ bona  
 auar-



auaritiæ sordes obscurarunt. ( *Plut.*  
*in apoph.* ) Dicebat Demosthenes, si  
 res priuata publicam non auertat,  
 tolerari aliqua ratione posse, vt con-  
 siliarij ditescant, & incrementi par-  
 ticipes fiant: verùm, quia vt pluri-  
 mùm videmus, quò magis res eo-  
 rum augentur, qui publicis muneri-  
 bus præfunt, eò magis Remp. minui,  
 cauendum esse. ( *Esai. 44.* ) *Væ pasto-*  
*ribus Israël, qui pascunt semetipsos,*  
*oues autem dispergunt, neque pascunt.*  
*Factio, ait Liuius, ( lib. 2. ) & respe-*  
*ctus rerum priuatarum, semper offe-*  
*tere, officièntque publicis consilijs. A*  
*decoctioribus etiam & prodigis*  
*consiliarijs, æquè ac auaris cauen-*  
*dum censeo. Consiliarijs vtere ijs, ait*  
*Basilius, ( ad filium. ) qui rebus proprijs*  
*bene consuluerunt, rectèq; eas admini-*  
*strarunt: non autem ijs, qui per impru-*  
*dentiam malè. Nam qui suis rebus malè*  
*prospexerit, numque alienis bene consu-*  
*let? ( l. 2. offic. )* Maxima cautio in



liberalitate adhibenda, ait Cicero,  
 non adeò claudirem familiarem o-  
 portet, vt eam benignitas non ape-  
 riat, nec item referari, vt pateat o-  
 mnibus. Cæterum liberalitatem co-  
 mitantur morum facilitas, comitas  
 & humanitas, misericordia, erga  
 proximum beneuolentia & hospi-  
 talitas. Condimentum humane  
 conuersationis est humanitas & po-  
 pularitas. Sit igitur consiliarius ad-  
 itu etiam alloquioque facilis, ne  
 minem expectando fatiget, vere-  
 cundos & timidos erigat, ciues pa-  
 riter & exteros summa beneuolen-  
 tia audiat, nullorum preces fastidi-  
 at, facilis sit in salutando & com-  
 pellando; ne de ipso dici possit,  
 difficilius esse famulum alloqui,  
 quàm dominum, fiet hac ratione,  
 vt non solum muneri tanto satisfac-  
 ciat, sed omnium etiam beneuolen-  
 tiam sibi conseruet. Marcum Cras-  
 sum laudant, quòd (Plut. in Crasso)  
 nulli



nulli civium, vniquam patrocinium  
suum non lubens impenderit, nul-  
lum in via non salutarit, atque vnus  
omnium popularem fecerit auariti-  
am, ex qua nemo antea gratiam re-  
portauerat. Solent magni viri glo-  
riae stimulis plusquam satis est, saepe  
incitari, vnde superbia, & aliorum  
contemptus nascitur. contemptor a-  
nimus & superbia commune nobi-  
litas malum, ait Salustius.

Quare consiliarium (de bel. Iugurt.  
crebro cogitare ve- Tacit. l. ann.  
lim, Cuncta mortali- 1. & 11.

um incerta, quantoque Tac. l. 4. hist.

plus adeptus sit, tanto magis se in lu-  
brico esse, & illud quoque modestia

famam neque summis mortalium sper-  
nendam, & a Dijs aestimari. Rectissi-

me ille, qui Prisco suavit, ne supra  
Principem scanderet nam quemad-

modum pessimis imperatoribus, si-  
ne sine dominatio, ita quamuis e-

gregijs modus libertatis placet. No-  
tan-



tanda Archidami verba. Scripserat ad ipsum Philippus, parva victoria ad Chæroneam, superbius & asperius. Rescripsit itaque Archidamus hæc inter alia: *Sicut tuam ipsius umbram rectè metiaris, eam unico pilo maiorem haud reperies, quàm ante victoriam.* Socrates Alcibiadem opibus & prædijs nimis superbientem, ad suspensam tabulam Geographicam (*Ælian. lib. 3.*) cum duxisset, ab ipso ut Arcticam in ea quæreret, petijt, quam cum reperisset, sua etiam prædia inspicere præcepit, quæ cum Alcibiades nusquam reperiri diceret; Cur igitur, subiunxit tunc Socrates, ob illa superbis, quæ circa nullam terræ partem existunt. Superbia etiam in Principibus odiosissima est, sed in privatis fastidiosa & molestissima, quam etiam Deus summè odit. *Quemadmodum fulmen, ait apud Stobæum Herodotus (Serm. 20.*



20.) *eminentia quæuis & celsissima deicit, parcit autem arbutis: sic Deus superbos ubique prostermit, amat humiles.* Poppæus Sabinus, ait Tacitus, (*lib. 6. annal.*) *vita concessit, modicus originis, Principum amicitia consulatum, ac triumphale decus adeptus, maximisque prouincijs per quatuor & viginti annos impositus nullam ob eximiam artem, sed quòd par negotijs, neque supra erat. Atque hæc quidem de consiliario. nam quæ de cognitione Metaphysices, Musicæ, Poëseos, & de ornatè scribendi peritia, item de consiliarij familia & diuitijs, de corporis constitutione, de ornatu & vestitu, de facerijs & salibus, alijsque similibus dici possent, consultò à me omissa fuere. Nunc quia non sufficit rectè consulere, nisi recta consilia Princeps amplectatur, atque non*  
 mino



minoris sit sapientiæ, inter varia  
 multorum consilia, quod optimum  
 sit, discernere, atque exsequi, quàm  
 ad rem consulere. vnde Cicero: *In  
 consilio capiendò prudentia, in dando  
 fides etiam requiritur & religio: sit  
 sanè magno cum Reipub. detrimen-  
 to, vt Principes, qui sibi suoque iur-  
 dicio nimium tribuunt, hallucinen-  
 tur.* Ptolemæus Ægypti Rex, ex  
 quadam cum ciuibus suis offensa,  
 Alexandria relicta, Romam vene-  
 rat, vt à Pompeio & Cæsare redu-  
 ceretur (*Plut. in Catone.*) Consultus  
 hac de re Cato, eum liberè repre-  
 hendit, quòd relicta tanta felicitate  
 ingentibus se obijceret indignitati-  
 bus, laboribus, largitionibus, & a-  
 uaritiæ Principum Romanorum.  
 consuluit autem, vt cum ciuibus su-  
 is rediret in gratiam, sed spretum  
 hoc fuit consilium. Vt primùm au-  
 tem ad fores vnus accessit in ma-  
 gistratu positus, defleuit inconsulta  
 sua



sua cepta, quòd non tam boni viri  
 quàm ipsius Dei fastidisset oracu-  
 lum. Annibal cùm ad Antiochum  
 in Asiam profugisset, eum de bello  
 in Italiam transferendo sollicitare  
 cepit, (*Liuius lib. 34.*) Italiam sub-  
 dens & militem & commeatum ex-  
 terno militi præbituram. Cuius con-  
 silium si Rex secutus fuisset, Roma-  
 nis de Italia retinenda denuo timen-  
 dum fuerat, quod non multò pòst,  
 quum Rex, bello Theffalis illato,  
 à Romanis victus esset, serò tandem  
 vnum Annibalem quid factò opus  
 fuerit, præuidisse, fassus est. Sæpè  
 audiui, ait Liuius, (*libro 36.*)  
 eum primum esse virum, qui ipse consu-  
 lat quod in rem sit: secundum eum, qui  
 bene monenti obediat: qui neque ipse  
 consulere, neque alteri parere solet, eum  
 extremi esse ingenij. Nobis quia prima  
 animi ingenij pars negata est, (*lib. 22.*)  
 secundam & mediam teneamus, & dum  
 imperare discimus, parere prudenti.

in



*in animum inducamus. Verum & in  
 aliam peccatur partem. Accidit sæpe  
 penumero, vt qui in ipso negotio  
 consilium capere cogitur, dubitet,  
 timeat, & ( vt Cæsar ait ) deficere  
 eum omnia videantur; atq; sic non  
 rectè iudicando consilia, dum alteri  
 paret, decipiatur, & in insidias dedu-  
 catur; quod Guicciardinus in Petro  
 Mediceo, consilium à Venetis ( qui  
 proprio suo scopo inferuire cona-  
 bantur) petente notauit. Sed exstant  
 & alia, vt consilium *Iornand. lib.*  
 quod Thorismondo *rerum Goth.*  
 Theodorici VVestgothorum regis  
 filio Ætius Valentiani Imp. dux de-  
 dit; item consilium Ludouici Sfor-  
 tiæ, quo Gallorum Regem ad Ne-  
 apolitanam ( *Guic. lib. 1.* ) expediti-  
 onem contra Arragonios traxit.  
 Magnum igitur iudicium adhiben-  
 dum non solùm in eligendis consi-  
 liarijs, an scilicet ijs, de quibus antè  
 præsidijs instructi sint, an magistra-  
 tum*



tum aliquem gesserint, & an in eo rectè administrando, operam, fidem, prudentiam, diligentiamq; præstiterit, an alicuius factionis Principes sint, ne iustitiæ specie priuatam vindictam armis publicis quærant, sed etiam in sequendo consilio

*Vt caueat vitæque dolos, & praua  
suorum*

*Consilia, vt monitis addat melio-  
ribus aurem.*

Rerum humanarum, ait Aristoteles, (in epist. ad Alex.) augustissimum est, consultatione uti, quare pro virili elaborandum, vt ipsam consultandi artem teness. Notanda Mutiani oratio ad Vespasianum: (Tacitus lib. 2. histor.) Omnes, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, estimare debent, an quod inchoatur, Reipublicæ utile, ipsis gloriosam, aut promissum effectum; aut certè, non arduum sit.



sit, simul ipse qui suadet considerandus,  
 adiciat ne consilio periculum suum, &  
 si fortuna ceptis affuerit, cui summum  
 decus acquiratur. Diligenter igitur  
 perpendet consulens, num quod  
 tractatur vel per consequentiam  
 consiliarium attingat; in propria e-  
 nim causa omne consilium suspen-  
 ditum, quia rarò sanum: an quod  
 consulitur honestum sit; ab honesto  
 enim si defleat, malum est: an  
 principaliter ad utilitatem Reipub.  
 pertineat, an verò priuatam quo-  
 que utilitatem intueatur; audiatur pa-  
 tienter quæ à contrarijs partibus &  
 disparibus suffragijs dicta erunt, ra-  
 tionibusque firmata notabit. si res  
 difficilior videatur, meliùs delibe-  
 ret, & res in aliud differat tempus:  
 aut fer sententiam ait Seneca, (Epist.  
 ult. l. 17.) aut quod facilius in hu-  
 iusmodi rebus est, nega tibi LIQVE-  
 RE, & nos reuerti iube.

Consilijs nulla res tam ini-

mi-

Li. lib.  
31.



mica quàm celeritas : celer enim pœ-  
 nitentia, sed eadem sera atque inutilis  
 sequitur : cùm præcipitata raptim con-  
 silia neq; reuocari, neq; in integrum re-  
 stitui possint. Ideo consultum putat  
 Vtopicæ Reip. au. Tb. Morus. l. 2.  
 stor, vt nihil quo c. de magistra-  
 die primùm in sena- tibus.  
 tu quid proponitur, eodem dispu-  
 tetur, sed in sequentem differatur  
 senatum, ne quis, vbi quod in buc-  
 cam primò venerit, temerè effutie-  
 rit, ea postea excogitet, quibus de-  
 creta sua tueatur; malitque salutis  
 publicæ, quàm opinionis de se iactu-  
 ram facere, peruerso quodã ac præ-  
 postero pudore, ne initio parùm  
 prospexisse videatur, cui prospici-  
 endum initio fuerat, vt consultò  
 potiùs, quàm citò loqueretur. Hoc  
 præceptum vel monitum ab Alex-  
 andro Seuero Imp. *Æl. Lampr. in*  
 sumptum videtur, *Seuero.*  
 qui re proposita, Cōsiliarijs suis spa-  
 tium

M

tium



tium ad disquirendum cogitandumque dabat, ne de rebus sæpe ingentibus, incogitati sæpe dicere cogerentur, quod multos etiam bonos personam dedit, qui spretis  
*Tacit. lib. 3.  
 ann. Brut. l. 5.  
 hist. Flor.*  
 quæ tarda, cum securitate, præmatura vel cum exitio properant. Laurentius Medicus Petri F. Reip. Florentinus Princeps, in consulendis amicis, siue ille fidei hominum, siue constantiæ diffideret, aliquando variavit: minimè diu iisdem usus. Quos verò in consilium adhibere decreuisset, non illos quidem eodem tempore, sed seductos ab alijs, de Repub. consulebat, ita ubi ab ijs, qui quæ aliorum esset sententia ignorarent, eadem afferri comperisset, in multorum consensu, quem neque præsentium æmulatio diuelleret, neque studium & gratia in mala sententia tueretur, consilium optimum esse arbitrabatur. Conduces



et etiam Principi, ad consilia dignoscenda, ea scire, quæ per ipsius ditionem fiunt omnia, ne illi à male consulentibus imponatur. sed cauendum interim, ne delatoribus nimis facilem præbeat aurem; solent enim ea, quæ nulla ex parte vera sunt, per calumniam Principi deferre, & eum ad iniustitiam sæuitiamque impellere, ex quo multorum sæpe innocentum periculum, imò perniciēs exoritur, quod quidem verius latrocinium, quàm iudicium est. Observatum à sapientibus est, nullum vnquam delatorem fidelem fuisse. *Delatores, ait Tacitus, (lib. 4. annal.) hominum genus publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam satis coërcitum.* Sed ad rem. conducet etiam Principi dare operã, vt Consiliarij liberè quidem sententiam dicant, sed vt interim concordia fraterna inter se coniungantur.

M 2      silia.



Consiliarios enim factiones interdum exitiales sunt. (*lib. 1. histor.*)  
*Stimulat saepe privati odij pertinacia in publicum exitium, ait Tacitus (lib. 5. annal.)* & alibi: *Odia consulum in Reip. perniciem eunt. Multos sectatores habent magni isti, quibus se facile adiungunt, & quorum ope odia exercent, in multorum, sed in Principis interdum Reique pub. perniciem.* His duo addo: alterum, ut Princeps Consiliarios eligat (*sic suades sapientissimus historicus*) non studiis privatis, nec ex (*Tacit. in Agric.*) commendatione & precibus, sed quos tales esse compererit, uti requiruntur: alterum, ut in roganda sententia Augusti nonnunquam morem obseruet, qui de maiore saepe negotio non ordine, sed prout libuisset, perrogabat, ut perinde quibusque animum intenderet, ac si censendum magis quam assentiendum foret, & sanè nullum perpetuum rogantem.



rogandarum sententiarum ordinem  
 fuisse, clarè docet Suetonius: qui  
 Jul. Cæsarem post *In l. Cæsare:*  
 nouam adfinitatem Pompeium pri-  
 mò rogare sententiam cepisse scri-  
 bit, cum Crassum soleret, essetque  
 consuetudo, vt quem ordinem in-  
 terrogandi sententias Consul Ka-  
 lendis Ianuarijs instituisset, cum to-  
 to anno seruaret. Ad extremum  
 hoc quoque addendum, ne in prin-  
 cipio sui Imperij, sine magna caus-  
 sa, prædecessoris sui fidos probos-  
 que Consiliarios à se dimittat, à qui-  
 bus multa gubernationi vtilissima  
 discere poterit. Calistus prioris  
 quoque regiae peritus, ait Tacitus,  
 (*lib. 11. annal.*) potentiam cautis  
 quàm acrioribus consilijs tutiùs ha-  
 beri, &c. Exemplum in Ludouico  
 fit XI Gallorum Rege, qui filio suo  
 Carolo hoc consilij dedit, ne quid  
 mutaret in administratione regni, &  
 antiquos amicos, familiares, & mi-  
 nistros



nistros retineret: se enim re ipsa expertum, in quot quantaque discrimina, vel vnica hac de causa venisset, quod excellenti probataque virtute viros ab aula pepulisset: exorto haud multo post, Principum bello, quod commune bonum vocabant, & conspiratione multifaria. Amicos elegit Titus (ait Tranquillus) quibus etiam post eum Principes, vt & sibi & Reipub. necessarijs acquieuerunt, quo nomine Claudianus Honorium laudat:

*Vt fortes in Marte viros, animisq; paratos;*

*Sic iustos in pace legis, longinquo tueris*

*Electos, crebris nec succedentibus vites.*

Restat, vt de rebus, quæ in Principum senatu deliberari debeant, agamus; deque consiliorum fine.

*Arist. lib. 1.  
Rhet. de quinque  
que rebus, de*



fine. De rebus sic *quibus consili-*  
*statutum reperio. um agitur.*

Ea tantum sacrosancto huic consi-  
 storio proponenda, quæ ad summam  
 Reipub. & ipsum statum pertinent,  
 talia sunt de religione & Dei cul-  
 tu, de legibus & magistratibus, de  
 bello ac pace, de fide publica, de se-  
 curitate seruanda, de fœderibus in-  
 eundis & tuendis, de finibus Impe-  
 rij regendis, de magnatum contro-  
 uersijs, de eorundem capite & for-  
 tunis omnibus, de negligentia ma-  
 gistratum vel præfectorum, de cu-  
 riarum & collegiorum controuer-  
 sijs, de legationum secretis, & alijs  
 similibus de rebus. (*Bod. lib. 3. c. 1.*)

Qui enim senatum litibus disceptan-  
 dis impediunt, rem tanto senatu  
 minimè dignam faciunt. Debet  
 namque Principis consistorium (vò  
 dixi) circa ea demum versari, quæ  
 ad Rempublicam directè perti-  
 nent, & in rebus grauissimis, non in



minutis ac leuibus controuersijs  
 priuatorum, vel similibus nugis oc-  
 cupari. Vt rectissimè, quisquis ille  
 fuit, dixerit, eos qui magnorum vi-  
 rorum consilio conuocato,

*Iuuen., Tanquam de Geticis aliquid  
 Sat, 4. toruisq; Sicambria*

*Dicturi, tanquam diuersis parti-  
 tibus orbis*

*Anxia precipiti venisset episto-  
 la penna,*

de nugis, vel exigui momenti re-  
 bus consulunt: Apioni comparan-  
 dos, qui Homerum ab inferis euo-  
 catū nihil aliud interrogauit, quàm  
 quibus parentibus genitus esset.  
 Quòd si quæras, ubinam cætera ne-  
 gotia tractari debeant, quæ tot sup-  
 plicib. libellis continentur, item ea  
 quæ ad reditus & ærarium Princi-  
 pis pertinent, ad annonam, ad de-  
 linquentium pœnas, & similia, Re-  
 spondeo, plura solere constitui con-  
 silia, officio, nego-

tijis

*Bad. lib. 3. c. 5.*



tijis & ministris dif. *Fur. Ceriol. d<sup>e</sup>*  
 ferentia. Hispani *cons. c. 1.*  
 septem consilia, totidem curijs se-  
 iuncta, & Regis prætorio compre-  
 hensa habent, vt quod libuerit Prin-  
 ceps adire, ac singulorum sententias  
 exquirere facile possit. 1. Quæstori-  
 um, quod ærarij publici curam ge-  
 rit, & in Imperij redditibus, ex sub-  
 ditorum tributis, ex earum rerum  
 vectigalibus, quæ euehuntur & in-  
 uehuntur, ex agris publicis, ex hosti-  
 um spolijs, ex sociorum vectigali-  
 bus & tributis, ex mercatura, &c.  
 colligendis, conseruandis & augen-  
 dis, debitjsq; exsoluendis versatur.  
 2. Militare, quod circa munitiones  
 urbium, custodiam finium, præsidia  
 militum, aciem instruendam, ca-  
 stramentationes, omnem denique  
 rem militarem versatur. 3. Anno-  
 narium, quod in id incumbit, vt  
 vitæ necessaria tam abundè suppe-  
 tant, vt partem etiam vicinis & alijs



impertiri possimus. 4. Jurisprudentum, ad quod extraiudiciales, omnes priuatae cōtrouersiae ciuiles, de quibus Princeps consulitur, pertinent, item condendarum abrogandarūque legum cura. 5. Criminale, ad quod spectat rerum criminalium cognitio. 6. Censorium, cui morum castigatio commissa est. Postremò Summum, ad quod praeter ea quae diximus, istorum etiam praecipua referuntur, vt aërarij dispensatio &c. Veneti verò quatuor Consilia habent; praeter senatum & cœtum optimatum. *(Donat. l. 1. not. & Cass. Contar. de Rep. Venet. lib. 3.)*  
 Consilium sapientum, qui quae terra geruntur, curant. Consilium sapientum, quod marinum dicitur. Consilium Decemviro-  
 rum, & consilium Septemviro-  
 rum; huic postremò summa quaeque in repub. deliberanda decernenda, que commissa sunt: quibus vt col-  
 legijs



legijs dux præesse potest. Galli etiã  
 consilium magnũ ab arcanis Imperij  
 submouerunt, & aliud selectorum  
 Principum & amicorum institue-  
 runt, quod Priuatum vocant, vbi  
 Principum literæ referantur, lega-  
 tiones referuntur, mandata expli-  
 cantur. Nos igitur hoc in loco de  
 isto consilio loquimur, quod cæte-  
 rorum tanquam caput esse debet.  
 Sequitur, vt de consiliorum fine  
 nonnihil attingamus. Hominis est  
 agere propter finem, finis necessita-  
 tem imponit ijs, quæ sunt ad finem,  
 & est vclut regula & iudicium eo-  
 rum, quæ pertractan-  
 tur. Ergò qui rerum a-  
 gendarum finem igno-  
 rat, eius adipiscēdi spes  
 illi æquè adempta est,  
 vt ei scopum feriendi, qui telum in-  
 certus quò iaculetur, emittit: (Sen.  
 epist. 71.) Errāt consilia nostra, quæ non

*Arist. lib. 1.*

*cap. 2.*

*Moral. et de  
part. an. lib.*

*1. c. 5.*



habent quò dirigantur. Ignoranti quem  
 portum petat, nullus suus est. Ut igitur  
 gubernator cursum secundum  
 medicus ægri salutem, Imperator  
 victoriam: sic consiliarius Dei glori-  
 am, Principisque sui & Reipub. v-  
 tilitatem sibi proponet, & in eam  
 rem toto animo & studio incum-  
 bet. Ex veterum scriptorum lectio-  
 ne satis apparet, senatum etiam Ro-  
 manum ante omnia hoc semper po-  
 tissimum spectasse, quid Reipub.  
 conducere, & quid ciuitatis utili-  
 tas, quid communis salus, quid Rei-  
 pub. tempora poscerent, vnde vlti-  
 missimæ illæ formulæ passim, & re-  
 publica esse, item, si aliter quis fecis-  
 set, eum contra Rempub. facturum,  
 &c. Qui Reip. præsumt, ait Cicero,  
 duo Platonis præce- Cic. Philip. 8.  
 pta tenere debent: v- Cas. lib. 1. de  
 num, vt ciuium vti- bello ciuil. &  
 litatem sic tuean- passim.  
 tur, vt quicquid agant, ad eam re-  
 ferant,



ET CONSILIAR. 247

ferant, obliti commodorum suorum. (*de off. 1.*) Alterum, ut totum corpus Reip. curent, ne cum partem aliquam tuentur, reliquas deserant; ut enim tutela, sic procuratio Reipub. ad utilitatem eorum, qui commisi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est.

(*Claud.*) *Tu civem patrémque geras,  
tu consule cunctis,*

*Nec tibi; nec tua te moveant, sed publica vota*

Commodum publicum non tam Principis intelligi debet, quam Reipub. Nam Princeps etiam ipse privatam negligere debet utilitatem, si cum publica pugnet. Possunt autem unius rei plures esse fines. Architecti finis est domus, & est lucrum; Medici finis est agrotantis sanitas, & lucrum: pictoris, repræsentare imaginem, & quæstus. Sic Consiliarij quidem scopus potest etiam esse privata utilitas, vel ambitio,



bitio, verus autem finis est bonum  
 publicum; nam quæ *Arist. mag.*  
 stus (vt ad exempla *moral. lib.*  
 redeam) non est finis *1. c. 3.*  
 architecti, medici, vel pictoris qua-  
 tenus artificis, sed quatenus merce-  
 narij. *Paucis*, inquit Tacitus (*An-*  
*nal. lib. 12.*) *publicum decus curæ, plu-*  
*restuta differunt.* Rectè igitur Athe-  
 nienses. Decreuerat Themistocles  
 post victoriam de Xerxe, Græciæ  
 Principatum instituere, atq; in eum  
 finem classem Lacedæmoniorum  
 in vnum subductam locum, clam  
 incendere, vt eorum opes & Impe-  
 rium frangerentur. ad populum igitur  
 se de grauissima re, *Plut. in vi-*  
 & ad summam Remp. *ta Them-*  
 pertinente, aliquid ha- *stoc.*  
 bere retulit, quod *Valer. Max.*  
 communicaret, roga- *l. 6. c. 5.*  
 uitque, vt vnum nominarent, qui  
 cum ea de re ageret, ne per multitu-  
 dinem euulgata, aliquando Reip.  
 fraudi



fraudi esset: Aristides à populo nominatus, re audita, cum videret Themistoclem in fine, qui decus est publicum, errare: eius quidem consilium utile Reipub. sed turpe & flagitiosum videri respondit. Uniuersa igitur concio è vestigio repudiandum consilium, quod cum propagatione finium dedecus Imperij coniunctum haberet, proclamauit. Reperit Tacitus (*lib. 2. annal.*) apud scriptores senatoresq; eorum temporum Adgandestrij Principis Cat-torum lectas in senatu literas, quibus mortem Arminij promittebat, si patrandæ neci venenum mitteretur; responsumque esse, non fraude, neque occultis, sed palam, & armatum populum Romanum hostes suos vlcisci; qua gloria æquabat se Tiberius priscis Imperatoribus, qui venenū in Regē Pyrrhum venterāt. Quæ facta, ait Iurisc. (*l. fil. 15. ff. de cond. inst.*) lædunt pietatē, existimationē, ve-





*recundiam, & ut generaliter dixerim,*  
*quæ contra bonos mores fiunt, nec fa-*  
*cere nos posse credendum. ideo Ro-*  
*mani legibus suis hanc clausulam*  
*adijciebant: SI QUID SACRI*  
*SANCTIQUE EST, QVOD IVS*  
*NON SIT ROGARI, EIVS HAC*  
*LEGE NIHIL ROGATUR, ut*  
*Probus testatur. sed & Cicero:*  
*Atque hæc si non o. (pro Cecin.)*  
*omnia, præcipua tamen sunt, quæ*  
*de consilijs in genere dici possunt:*  
*quæ breuitate, uti sperare me iuvas,*  
*non ieiuna, ad finem perduxisti, ad-*  
*ditis doctorum, quos sequutus sum,*  
*virorum testimonijs: ne me, quis,*  
*licet in re valde dissi- Suet. in Do-*  
*mili, Domitianum i- mit. c. 5.*  
*mitatum, obijcere possit, qui plu-*  
*rima opera, incendio absumta, re-*  
*stituit, sed omnia sub titulo tan-*  
*tum suo, ac sine vlla pristini aucto-*  
*ris memoria. Porro, quid hic*  
*affecuo*




ET CONSILIAR.

252

assecutus sim, tui lubens meritò  
facio iudicij, lector, si erudi-  
tus es & candidus.








Faint, illegible text or markings at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

















































Op 852


**ULB Halle**

3


004 829 255











B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres



IDEA CONSILIARII:

Hoc est,

DE CONCILIIIS  
ET CONSILIA-  
RIIS PRINCIPVM, EO-  
rumque Qualitatibus, virtute  
ac Electionibus,

LIBELLVS;

EX FRIDER. FVRII CERIO-  
lani Tractatu Hispanico, DE IN-  
STITVTIONE Principis, in Ita-  
licam, inde in Latinam linguam  
translatus.

INTERPRETANTE SIMONE  
SCHARDIO S. I. V. D. & Camerae  
Imperialis Spirae Nemetum quon-  
dam assessore,

*Additus est* HIPPOLYTI à COL-  
LIBVS, eiusdem argumenti li-  
ber, qui inscribitur CON-  
SILIARIVS.

VVITEBERGÆ

Typis Gronebergianis, 1597.

